



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

Opera Bona Et Horum Merita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

Doctores formalem & completam infidelitatem (de qua in præsentiarum sermo.) esse gravissimum peccatum mortale; cum Deum mendacem faciat: esseque inter præcipua peccata, quæ ex malitia fieri dicuntur. Exempla non sunt ad rem. Sara leviter hæsitavit, non obstinatè, quod ad formalem completamque infidelitatem requiritur. Moyses & Aaron ex nimia perturbatione non nisi venialiter peccarunt, ut disertè affirmat S. August. q. 19. in l.ibr. Num. Et L. 16. contra Faust. c. 17. atque plerique Doctores cum

eo, quantumvis eorum incredulitatem DEUS morte temporali puniuerit. Zacharias non nisi leviter dubitavit absq; pertinacia. Thomas Apostolus à mortifera pertinacia difficiliter excusatur, quam cæteri Apostoli, quibus Marci ult. incredulitatem & duritiam cordis Christus exprobravit. Hoc certum, illos non ex malitia, sed ex perturbatione & humanâ fragilitate fecisse. Videri possunt Cornel. à Lapite, Tirinus, & alij in cit. loc. Hæc de Justificat. Impij.



OPERA BONA: ET HORUM MERITA.

Ro hisce intelligendis aliquid breviter præmittemus de differentia *Legum & Evangelij. item de Libertate Christiana*, ex quorum prava expositione errores hæreticorum nascuntur. Itaque Evangelium duobus modis sumitur. 1. pro doctrina, quam Christus & Apostoli prædicarunt, & in Nova testamento continetur. 2. pro gratia Novi Testamenti, quæ & *Lex Scripta in corde, & Spiritus vivificans, & lex Fidei* dici solet, quantumvis nomen Evangelij in Scriptura nunquam accipi videatur, nisi priore modo, hoc est, pro doctrinâ. Unde in Evangelio non minus quàm in Veteri Testamento continentur Leges propriè dictæ Math. 5. Comminationes, ibidem. Et Promissiones cum conditione obedientiæ Math. 19. v. 17. *si autem vñ ad vitam ingredi, serva mandata*; Et in quocunque statu obligatio Legum divinarum principaliter intenta fuit, ut medium aquirendæ, retinendæ, ac recuperandæ gratiæ & amicitie divini; sicut etiam eadem est ratio in quovis statu comminationum & terrorum.

II. Sectarij ex comunit consensu inter Legem & Evangelium hoc discrimen ponunt, quod illa proponat justitiam & salutem cum conditione totius legis implendæ: Istud verò promittat justitiam & salutem sine ulla conditione, sed absolute, vel cum solâ conditione Fidei. Hinc alterum deducunt discrimen, quod Lex terreat, Evangelium consoletur. Sed gravissimè hallucinantur, ut videre est apud Bellarminum. L. 4. de Justificat. c. 2. & satis ex dicendis constabit. Verum autem discrimen inter Legem & Evangelium est duplex. 1. quod Lex doctrinam inchoatam: Evangelium autem perfectam complectatur. Unde D. Thomas 1. 2. q. 107. & D. August. L. 6. de Civit. DEI c. 26. ajunt, Evangelium in Lege contineri, ut arborem infemine: Item Vetus Testamentum esse occultationem Novi: & hoc Novum Testamentum esse revelationem Veteris. 2. est, quod Lex per Moysen data sit, Evangelium verò per Christum, qui non tantum Legislator uti Moyses, sed & Redemptor fuit; unde Lex venit in doctrina sola: Evangelium insuper cum gratia, ut, qui illud acciperunt, non modò per doctrinam inter virtutes & vitia discernent, sed etiam per gratiam diligenter justitiam, atque odio haberent iniquita-

tem. Aliæ differentie sub utroque hoc discrimine involutæ videri possunt apud Bellarm. L. 4. de Justif. c. 4. Ex his aperte constat, usque adeo operum necessitatem ab Evangelio non removeri, ut eam potius ad Evangelium pertinere demonstratur.

III. Libertatem Christianam Adversarij in eo ponunt, ut nulli legi sint subiecti in conscientia ac coram Deo, Christumque habeant non pro Legislatore, sed pro Redemptore. Nos autem eandem ex Evangelio & Apostolicis litteris asserimus, tribus in rebus esse sitam. Nempe primò in libertate à peccato & morte, quæ ex peccato sequitur. Joan. 8. v. 36. *Si ergo Filius vos liberaverit, verè liberi eritis*. Secundò in libertate à jugo legis cæremonialis, & judicialis Hebræorum. Act. 15. v. 10. *Quid tentatis Deum, imponere jugum supra cervices, quod neque Patres nostri, neque Nos portare potuimus*. Tertio in libertate à dominatu legis naturalis seu divini, & moralis, quâ fit, ut lex nobis non dominetur tanquam servis imminens flagello, sed ut imperet liberis non adimendo legi vim obligandi, sed addendo hominibus charitatem illam libenter implendi juxta illud Apost. Joan. 6 v. 14. *Non enim sub lege estis, sed sub gratiâ*. Et 1. ad Timoth. 1. v. 9. *Lex justo non est posita*; quippe sub lege esse dicitur, qui à lege agitur ut servus: in lege verò est, qui secundum legem agit, ut liber. Videatur Bellarm. L. 4. cit. cap. 5. & 6. His promissis,



CONTROVERS. LVII.

*AN DENTUR OPERA BONA
meritoria in homino justifi-
cato?*

Gratia Justificans non manet otiosa in homine, sed instar bonæ ac fecundæ seminis fructificat, idque efficit, ut opera hominis justificati fructum afferant in vitam æternam; quam gratiam ejusque effectum in tollendis penitus peccatis, quia negant hæretici, ipsa etiam opera bona ac meritoria inficiantur; unde iterum inter nos & ipsos surgunt graves fidei controversiæ in præsentia decidendæ.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Homo justus cum gratia Dei efficere potest opera verè bona. Ita Catholici Doctores Probatur 1. ex Sac. Scriptura Job. 1. v. 11. dicitur: *In omnibus his non peccavit Job labijs suis.* Et ne de verbis solùm, non verò de operibus id accipiatur, ait de eodem Deus c. 2. v. 3. *vir simplex ac rectus, & recedens à malo, & adbucrentiens innocentiam.* Non obstat: quod c. 3. v. 1. *maledixerit diei suo; nam ex eo non peccavit, ut contra quosdam hebraeos & nostros hæreticos tenent Origenes, Chrysoström, Ambrosius, Hilarius, D. Bonaventura, Scotus & alij.* quia id non fecit ex impatientia, sed interni doloris externâ, ordinatâque ostensione. videatur Pineda in cap. 3. Job. Similiter David non solùm opera sua justitiæ nomine ornanda censebat, sed etiam in diversis psalmis confidebat, ea in iudicio subsistere posse; alioquin psal. 7. v. 9. *petens iudicari secundum justitiam suam* pro absolutione damnationem quaesivisset. Matth. 6. v. 22. ait Christus: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.* Et Luca 11. v. 36. *Si ergo corpus tuum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulguris illuminabit te;* Ubi sine dubio describit opus perfectè bonum ex genere suo & intentione alijsque circumstantijs, quale opus veritas pronunciat lucidum totum, nec habens ullam partem tenebrarum. Ad Galat. 5. Apostolus distinguit inter opera carnis, & fructus spiritus; & de illis dicit v. 19. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, idolorum servitus, ira, rixa; qui talia agunt, regnum DEI non consequentur: fructus autem spiritus est charitas, Gaudium, Pax, &c. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs; si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.* Si autem omnia opera iustorum sunt mala, quomodo sunt fructus spiritus Sancti? quomodo illi, qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs, si omnia ex concupiscentijs fiunt, & vitia sunt? Probatur 2. ex SS. Patribus D. Chrysostr. Serm. in Beatos Job & Abraham dicit: *Dives erat Job ex benedictionibus, utebaturq; pro necessitate divitijs, ita ut satiendo pauperes demonem mirum in modum contristeret; bona enim opera humana plaga & vulnera sunt demonibus &c. quomodo autem plagæ sunt demonibus, quæ illis placent?* D. Ambrosius in L. de Apolog. David. sic ait: *Etenim quia sine peccato non potest esse humana fragilitas, cavendum est, ne plura peccata sint, quam opera virtutum &c. ubi loquitur de peccatis venialibus, & illa distinguit ab operibus virtutum, ut patet.* D. Hieronymus in c. 22. per vestem nuptialem intelligens internam justitiam, & bona opera sic scribit: *Vestis nuptialis precepta sunt Domini, & opera, quæ complentur ex lege & Evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum; si quis igitur in tempore iudicij inventus fuerit sub nomine Christiano non habere vestem nuptialem, hoc est, vestem supercaelestis hominis, sed vestem pollutam, id est veteris hominis exuvias, hic statim corripitur, & dicitur ei, amice quomodo hic intrasti? plura Scriptura & Patrum*

testimonia videri possunt apud Bellarm. L. 4. de Justif. à c. 15. & alij.

II. Probatur 3. Ex dictis de Justificatione contr. 52. doctrinâ. 3. nempe in justificatione peccatus tolli omnia peccata, & infundi gratiam, seu justitiam inhærentem, quæ facit hominem Deo gratum, amicum, & ab omni contagione mundum ac liberum. Unde sic argumentari possumus. Sicut ab homine injusto & immundo ac peccatis obnoxio procedunt opera injusta immunda & vitiosa, ita ab homine justo mundo & interioris gratiæ donis ornato procedunt opera justa munda & DEO grata; quò spectat illud Christi Matth. 7. v. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Et illud Joan. 15. v. 5. *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Hinc Probatur doctrina nostra 4. duplici hæc ratione. Prima. Arbor bona non potest facere fructus malos. Sed homo justus est arbor bona juxta illud Psal. 91. v. 13. *Justus ut palma florebit, sicut Cedrus Libani multiplicabitur.* Ergo homo justus non potest facere malos fructus. Quomodo ergo Sctarij dicere audent, omnia ipsorum opera esse damnabilia. Altera. Omnis palme, qui est in vite fecunda facere potest fructum bonum. Atqui Apostoli omnèque justii quæ tales sunt palmites in Christo velut fecundissimâ vite existentes, & inde succum humorèque divini auxilij trahentes. Ergo Apostoli omnèque justii possunt facere fructum. Ergo horum opera non sunt mala, sed bona; ista enim dicuntur illorum fructus.

III. **D**octrina secunda. Justificatio opera bona sunt necessaria ad salutem. Ita omnes Catholici Doctores. Probatur 1. ex sac. Scriptura Math. 7. v. 21. *non omnis, inquit Christus, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in Regnum Celorum, sed qui facit voluntatem Patris mei &c.* Luca 10. v. 25. *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo, & mox v. 28. hic fac, & vives.* Jacobi 2. v. 14. *quid proderit, fratres mei, si quis fidem se habere dicat, opera autem non habet, nunquid fides poterit salvare eum?* Sac. Scripturæ consentiunt P. P. è quibus D. Chrysostr. hom. 30 in Joann. sic scribit: *qui credit in filium, habet vitam æternam; nunquid ergo satis est ad vitam æternam credere? minime. Nam si in Patrem & Filium & Spiritum S. rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem utilitas.* Et mox: *qui credit in Filium habet vitam æternam, non tamen dicimus, satis esse solum fidem ad salutem.* Hieronymi. Comment. in Jsaia ad c. 26. *non sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* S. Augustinus L. de dogmatibus Ecclesiastic. c. 32. *tanta est inquit, erga homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Idem serm. 35. sic scribit. *Filius hominis venturus est in gloria sua cum Angelis suis; & tunc reddet unicuique secundum opera sua, Matth. 16. Diligenter, queso attendite Fratres & mecum pariter pavescite; quia non dicit quod reddet unicuique secundum misericordiam suam, sed secundum opera sua, hic enim est Misericors, ibi justus.* Plura Scriptura & Patrum testimonia adduximus supra. Contr. 52. quæ pro hac etiam doctrina militante Ratio est. Quia omnes Justii tenentur observare legem Dei, hoc est operari, & gratiam per baptismum aut alio modo acquisitam non amittere, adeoque cum mundo carne & diabolo certare; quod certamen cum ex una parte difficillimum sit; ex alterâ verò omnino necessarium, testis Matth. 11. v. 12. *Regnum Celorum vim patitur, & vires*

genti rapiunt illud. aperte sequitur, ipsa quoque opera bona talis certaminis profus necessaria esse, quibus regnum illud caelorum obtineatur. Per hoc tamen non negamus, aliquos non servatâ lege, aut nullo facto opere salvari, qui in fine vitae credentes aut dolentes per Baptistam moriuntur sive illi sint infantes sive adulti; quia salus illis non, sicut braviium vel corona, sed ut gratia duntaxat, seu hereditas contingit, ut docent Theologi de Prædestinat.

IV. *Doctrina tertia.* Justus seu Amicus DEI cum gratia divina efficere potest opera, quae sint meritoria, & mercede vel præmio digna. Ita omnes Catholici, & definitur in Tridentino Sess. 6. de Justif. c. 26. atque ex innumeris S. Scripturae locis ostenditur. Nam Inprimis Christus mercedem Justorum in Coelis copiosam asserit futuram Math. 5. v. 12. *gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis; & eam quidem pro labore nostro dandam, tanquam in vinea sudantibus denarium.* Math. 20. v. 10. *acciperunt autem singulos denarios: tanquam iustitiae coronam.* 2. ad Timoth. 4. v. 8. *reposita est mihi corona iustitiae &c. tanquam currentibus braviium.* 1. ad Corinth. 9. v. 24. *omnes quidem currunt, sed unus accipit braviium, sic currite ut apprehendatis: tanquam mutuum.* Prov. 19. v. 17. *favenerunt domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei: tanquam depositum.* 2. ad Timoth. 1. v. 12. *potens est depositum meum servare in illum diem.* Merces autem, Labor, Corona, Braviium, Mutuum, Depositum sunt correlativa, quibus respondet meritum; quod enim immerito datur, donum est, non merces. Deinde totam causam, ob quam aeterna vita tribuitur, Christus plurimis in locis adscribit bonis operibus per particulas Enim, Quia, Ideo. Math. 25. v. 35. *esurivi enim, & dedistis mihi manducare; & ibidem v. 23. quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam &c.* Apoc. 7. v. 15. *idco sunt ante thronum DEI.* Hisce autem manifeste significatur, labores toleratos seu bona opera esse causas retributionis acquisitae. Porro bona opera non solum esse causam praemij, sed ex iustitia praemium aeternum illis dandum, divinus Spiritus asserit 2. ad Thessalon. 1. v. 6. & 7. *justum est apud Deum, retribuere vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.* 2. ad Timoth. 4. v. 8. *cit. reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus Judex.* Ad Hebr. 6. v. 10. *non enim injustus est DEUS, ut obliviscatur operis vestri. Quin imò sic Christus aeternam vitam promissit, ut promissio ab operibus dependeat, & ei qui opera implet, jus exigendi promissam mercedem competat.* 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* & ibidem v. 19. *omnis qui reliqueris domum fratres &c. vitam aeternam possidebit.* 1. ad Timoth. 4. v. 8. *pietas ad omnia utilis est promissiones habens vita, quae nunc est, & futura.* Denique Justorum opera praemio aeterno digna esse, asseruit aperte S. Scriptura Sap. 3. v. 8. *DEUS tentavit eos, & invenit eos dignos se.* 2. ad Thessalon. 1. v. 5. *ut digni habeamini regno DEI, pro quo & patimini.* Luc. 20. v. 35. *illi vero, qui digni habebuntur saculo illo & resurrectione.* Apoc. 3. v. 4. *& ambulabunt mecum, & via digni sunt.* Cum ergo dignitas in Justis inveniri debeat, non potest esse alia, quam passivum, teste Paulo ad Thessal. cit. sive operum;

si autem opera in se dignitatem habeant, meritum quoque habeant necesse est.

V. *Confirmatur doctrina nostra hac ratione.* Quia lumine naturae agnoscimus, DEUM esse, eumque esse Remuneratorem, quod ipsos etiam Philosophos ethnicos non latuit, teste Apostolo Rom. c. 1. v. 21. *Quia cum cognovissent DEUM; non sicut DEUM glorificaverunt.* Atqui DEUS Remunerator maxime est, ut bonis Justorum operibus mercedem retribuatur, sicut malis impiorum poenam, ut novimus ex Math. 25. Ergo ut mala opera habent ex demerito damnationem, ita bona opera ex merito suo remunerationem. Hoc non minus Sectarij, quam nos Catholici profitentur in Symbolo D. Athanasij: *inde venturus est judicare vivos & mortuos: ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus, & reddenturi sunt de factis proprijs rationem; & qui bona egerint, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.* Hac, inquit S. Pater, est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. Unde D. August. epist. 46. ad Valentin breviter & pulchre sic pronunciat: *si non sicut merita, quomodo DEUS judicabit hunc mundum?*

VI. *Doctrina quarta.* In bonis operibus ac meritis, quae verè talia esse comperum sit, fiducia aliqua collocari potest. Probatur exemplis S. Scripturae. Legimus enim L. 2. Esdrae, c. 5. Nehemiam virum Sanctum enumerare sua opera bona, & dicere DEO v. 19. *memento mei Domine in bono secundum omnia, quae feci populo huic.* Item Davidem Psal. 17. sic v. 21. canentem: *& retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, quia custodi vias Domini.* Et Ezechiam orantem apud Isaiam. c. 30. v. 3. *obsecro Domine, memento, queso, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim &c.* S. Paulum, 2. ad Tim. 4. sic sua predicantem v. 8. *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona iustitiae &c.* Ratio esse potest, quia sicut misericordia Dei, ita & bona opera meritoria sunt vera causa salutis; licet autem confidere in causâ; neque hoc est confidere in propria virtute, sed in DEO & ejus gratia, cuius sunt munera omnia humana merita; aliud quippe est fiduciam (quae ex 2. 2. S. Thomae q. 129. a. 6. est perfecta quaedam spes) nasci ex meritis: aliud fiduciam in merito poni debere; fieri quippe potest, ut quis exiguam aut bene nullam fiduciam in meritis suis ponat, eò quod non certo sciat, an habeat merita, & tamen veris magnifque meritis abundet, & ex illis fiducia in ipso erga Deum maxima oriatur.

VII. *Doctrina quinta.* Propter incertitudinem propriae iustitiae & periculum inanis gloriae tutissimum est, fiduciam totam in sola DEI Misericordia & benignitate reponere. Ita habeat usus S. Ecclesiae, quae incan. Missae post consecrationem orat: *intra quorum nos consortium non estimator meriti, sed venia quaesumus Largitor admitte.* Ratio est, quia vel habet homo merita, vel non habet; si posterius, perniciosè fallitur: si prius, nihil perdit ex eo, si illa non intueatur, sed in Deo solo confidat; etenim Deus eadem optime novit & inquiretur, nec inremunerata illa esse patietur; ex quo pulchre elucet, Misericordiam & veritatem in negotio salutis nostrae sibi objuvare; *Justitiam & Pacem*

Pacem se invicem osculari. Misericordiæ divinæ est, velle creaturam rationalem per semitas justitiæ & opera laude digna ac meritoria promovere: ad coronam perducere, Justitiæ est.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VIII. **E**rror Primus. Nulla dantur opera bona, sed omnia sunt peccatis inquinata. Ita Lutherus, qui in assertionibus suis a. i. dicit: hominē in omnibus operibus suis peccare, sequitur Magistrum suum, rigidi Lutherani, ex quibus Nicolaus Ammstorffius in Lib. quem inscripsit sub hoc titulo: *Opera bona sunt pernitiosa ad salutem*, ubi contra Jacobum Majorem Theologum Electoralem ex pluribus Lutheri locis probare contendit, ipsa bona opera pernitiosa esse. Attipulatur Calvinus L. 3. Instit. c. 12. sic scribens §. 4. *qui ferō tanquam sub DEI conspectu de verā justitiæ regula quærent, illi certō compertent, omnia hominum opera, si suā dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta esse & sordes, & quæ justitiæ vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem, quæ integritas censetur, pollutionem. quæ gloria dicitur, ignominiam: Sequuntur istum quoque discipuli sui inter quos est Amestius Tom. 4. à fol. 174 ubi frustra moderationem adhibere vult, ut ex ejus argumentis constat. Probant igitur hanc suam opinionem ex nonnullis locis S. Scripturæ pravè intellectis. Ecclesiastice 7. v. 21. *non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet, Isaia. 64. v. 6. facti sumus, ut immundi omnes, & quasi panni menstruati universæ justitiæ nostræ. Psal. 142. v. 2. & non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. In. Orat. Dominicā Math. 6. quotidie precamur: sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua, dimitte nobis debita nostra. Ex quo sic ratiocinantur Nullus petit id, quod habet. Ergo cum petamus, ut sanctificemus nomen Dei, & fiat voluntas ejus, apertè fatemur, quod nondum Sanctificemus Nomen Dei, nec ejus voluntatem faciamus, ac proinde, quod semper polluamus Nomen Dei, & contra voluntatem Domini faciamus, & consequenter semper peccemus.**

IX. Hunc errorem præter illa, quæ supra adduximus, refellunt absurda, quæ luculenter ex eo deducuntur. 1. est, hominem per peccatum justificari. Nam ut ajunt hæretici, omnia justorum opera sunt peccata, & mera iniquitas ac pernitiosa ad salutem. Sed fides est opus Justorum. Ergo est peccatum & iniquitas ac pernitiosa ad salutem. Atqui solâ fide justificamur. Ergo &c. 2. Justos non debere credere. Nam omnia peccata & ad salutem pernitiosa sunt prohibita. At si omnia opera Justorum sunt peccata & ad salutem pernitiosa, etiam opus fidei est peccatum, & ad salutem pernitiosum. Ergo opus fidei est prohibitum Ergo non licet credere. 3. Deum præcipere & mandare, ut fiant peccata & opera ad salutem pernitiosa. Nam Deus præcepit & mandavit, ut opera quædam bona fierent à Justis. At omnia nostra opera bona sunt peccata & ad salutem pernitiosa. Ergo Deus præcepit fieri peccata & opera ad salutem pernitiosa &c. Propter hæc absurda ex Ad-

versariorum opinione deducta & propter luculentia S. Scripturæ & P. P. testimonia pro Chatholica doctrina à nobis allata, non paucis recentioribus Sæctarijs à Luthero & Calvino discedunt. Ipse Amestius fol. 175. ad illud Bellarmini argumentum ex D. Jacobi 3. v. 2. *in multis offendimus omnes*, respondens ait: *in multis notabiliter, non in omnibus*; quâ distinctione apertè fatetur, non omnia opera esse peccata, esse pernitiosa ad salutem, quod certè evincunt vel sola ista D. Petri verba Epist. 2. c. 1. v. 10. *magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes nō peccabitis aliquando.* Nam si bona opera sine mortalia & pernitiosa ad salutem. Ergo hæc faciendo peccant, ut volunt Adversarij. Spiritus S. autem dicit quod non peccent, sed saluti consulant. Ergo Spiritui Sancto contradicunt, & huic error hæreticorum præfens adversatur.

X. Respondetur ad 1. sensum esse, neminem ita bonum esse, ut non aliquando peccet, desipiat & labatur saltem in levioribus juxta illud Prov. 26. v. 16. *Septies in die cadit justus, & resurget.* Ad 2. Negando consequentiam. Nam ut hæc esset legitima, oporteret in textu exprimi, quod in Conclusionem inferretur, scilicet omnes nos homines, qualescūq; à Deo justificati, mundi sumus, & universæ qualescūque justitiæ nostræ &c. hoc autem non est in textu, adeoque nec in Conclusionem inferri debet. Deinde non esse hic sermonem, etiam Calvino & Musculo testibus, de bonis justorum operibus, sed de fictis peridorum Judæorum ut etiam clarissimè patet ex versu sequenti: *non est, qui invocet nomen tuum; unde alligasti nos, & contrivisti in manu, hoc est per manum iniquitatis nostræ tanquam licitoris & carnificis, cui solenne est sævire in sui auctorem. Sed dicent. Cur ergo Isaia dixit in persona pluralis numeri: facti sumus omnes nos &c. Aio Isaia licet in plurali prædicto modo loquatur, non tamen id de se in particulari intellexisse sed quatenus unus erat de populo Judaico. In quem modum sæpe loquitur Scriptura v. 9. ad Rom. 15. v. 4. ait Apostolus: *Certus sum autem fratres & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione &c.* quod non verum erat de omnibus in particulari, sed de plerisque confidebant, quantumvis nominet omnes.*

XI. Ad 3. Ejus loci sensum esse juxta S. Augustinum in comment. hominem coram Deo justificari non posse; quia nullam habet ex se justitiam, & si quam habet, ex Deo habet: aut juxta eundem in L. de Perfect. Justorum. S. Hieronymum epist. ad Clesiphontem S. Gregorium M. in eum psal. referri hoc dictum ad peccata venialia, sine quibus in hac vita esse non possumus; ex quo non sequitur, omnia nostra opera esse peccata, etiam si absque omni peccato vivere non valeamus. Addo juxta S. Hilarium, Arnobium, Eutymium, Bernardum &c. Sensum esse, hominem non posse justificari, si comparatur ad Deum, non quod in isto non sit justitia, si absolute consideretur, sed quia tanta est puritas & sublimitas justitiæ DEI, ut omnis hominis & Angelorum justitia cum eo comparata videatur esse injustitia, sicut etiam stellæ in se clarissimæ tamen cum sole præfente continuo obtenebescunt. Ad id, quod exorat. Dominicā fuit adjectum, negamus consequentias. Nam in primis retorquemus, quia Christus non docuit nos petere, quæ nunquam impetraturi essemus; imò promittit, nos accepturos quod.

quod peteremus. Deinde possumus omnino petere aliquid, quod jam habemus, nempe ejus conservationem & incrementum juxta D. Cyprian. Serm. de orat. Dominicâ. ubi, *id*, inquit, *petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cepimus, perseveremus &c.* Denique non pro omni opere nostro (pro multis enim gratias agimus, non veniam petimus) sed pro mortalibus aut etiam venialibus delictis, quæ bonis operibus miscentur, dicimus: *dimitte nobis debita nostra.*

XII. *Error secundus.* Opera bona non esse necessaria ad salutem. Sequitur iste error ex priori: item ex discrimine, quod faciunt inter Legem & Evangelium. Rursus ex libertate, quam ponunt, in exemptione à debito legis implendæ. Denique ex impossibilitate legis implendæ; de quibus supra. Unde clarè constat, immeritò conquiri Confessionem Augustanam art. 20. item alios Sectarios in suis libris, injuriam fieri Lutheranis & Calvinistis prædictum errorem illis ascribendo, quem tamen ipsorum Patriarchæ aperte tradunt. Lutherus Serm. de piscatura Petri: *erga Deum, ait, non operibus, sed nudâ fide indigemus; debemus enim cum solo Isaac venire, id est, in Fide: servos & asinos, hoc est opera deorsum dimittere oportet. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit.* Similia habet in Lib. de libertate Christianâ. In Serm. *Sic Deus dilexit mundum &c.* In Comment. ad Cap. 2. ad Gal. In Serm. de Missâ privatâ &c. Calvinus verò L. 3. Instit. c. 14. §. 11. *Diobus, his, inquit, fortiter insistendum, nullum unquam exitisse pîj hominis opus, quod si severò DEI judicio examinaretur, non esset damnabile.* Similia habet alibi. Quæ certè omnia ita aperta sunt, ut exculpationi non relinquant locum. Hanc Lutheri & Calvini mentem, etsi Sectarij Recentiores nonnihil mitigent, minimè tamen errorem suum ex integro emendant. Nam fatentur quidem opera bona esse necessaria, sed tantum vel necessitate mandati cultus Deo debiti, & officij proximo præstandi: vel necessitate præsentis, ita ut non habeant efficaciam & relationem ad salutem, quasi sint merita, causæ, conditiones &c. Sed sint meri fructus, vel indices fidei. Probant 1. quia opposita doctrina est Pseudoprophetarum, qui præter fidem etiam opera exigebant, Act. 15. v. 1. & sequentib. Probant. 2. quia eadem doctrina pugnat cum S. Scriptura ad Rom. 4. v. 6. *Sicut & David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto ferti justitiam sine operibus.* Et ad Ephes. 2. v. 8. & 9. *Gratiâ enim estis salvati per fidem (& hoc non ex vobis, Dei enim donum est) non ex operibus, ut ne quis gloriatur.* Probant. 3. quia sequeretur inde, neminem, qui bona opera non egisset, in fine vitæ conversum ullo modo salvati posse.

XIII. Erroris hujus ineptia manifestè perspicitur, & rejicitur ex ipsis Adversariorum principijs. Nam volunt legis observationem esse impossibilem. Ergo bona opera non possunt esse necessaria ex necessitate mandati; quæ enim impossibilia factu, non possunt à Deo, ut necessaria, mandari. Deinde volunt etiam omnia opera nostra esse meras fordes, maculata, instar panni menstruati, perniciofa ad salutem &c. Ergo non possunt esse necessaria necessitate tranquillandæ conscientis, aut officij charitatis proximis præstandi, neque fructus boni, ac indices salvificæ fidei. Unde apparet, Sectarios merum facere fucum, & simplici plebi imponere velle; cum enim operum

necessitas clarissimè in Scriptura asseratur, solummodo fingunt alias necessitates, ne Sacræ Scripturæ contradicere videantur.

XIV. Respond. ad 1. in oppositum; quod ex Act. Apost. 15. asseritur, id nihil profus facere ad rem. Nam agitur ibi de operibus Legis Mosaicæ, quæ definierunt Apostoli, nihil amplius professe, ut patet ex istis verbis v. 1. *Nisi circumcidamini non potestis salvari &c.* ubi per Synecdochen sub circumcissione intelligitur tota lex Moysis. Ad 2. ex 4. ad Rom. velle Paulum nos justificari non ex proprijs naturalibus operibus, sed gratis ex fide & gratiâ Christi, ut ex S. Augustino docet Vasq. in 1. 2. Tom. 2. D. 210. cap. 8. in eundem sensum intelligendus est S. Apostolus ad Ephes. loc. cit. Ad 3. supra jam dictum est §. 3. in fine, quomodo vitam æternam infantes vel homines adulti sine ullo opere bono conversi & statim morientes consequi possint.

XV. *Error tertius.* Non dantur bona opera, quibus justii apud Deum mereantur vitam æternam. Ita Lutherani apud Gerhard. in Confess. L. 2. P. 3. à fol. 824. Calvinistæ apud Ames. L. 4. à fol. 183. & cæteri hodie communiter Sectarij, quantumvis Confessio Augustana & Apologia art. 20. concedant opera justorum placere Deo, ex fide scilicet & indulgentia Dei. Item mereri præmia aliqua extra vitam, & salutem æternam; quia nimirum fide solâ homines justificari & salvari arbitrantur. Probant varijs argumentis *Primum:* Id quod datur gratis, non datur ex merito. Sed vita & salus æterna gratis dantur. Ergo non ex merito. Major patet per se, quia meritum & gratium invicem opponuntur. Minor probatur ex S. Scriptura ad Rom. 6. v. 23. *Gratiâ Dei vitæ æterna in Christo JESU Domino nostro.* Ibidem c. 9. v. 16. *non volentis neque currentis, sed miserentis est DEI.* Rursus c. 11. v. 6. *reliquia secundum electionem gratiæ salva facta sunt.* Si autem gratia, jam non ex operibus alioquin gratia jam non est gratia. 2. Ad Timoth. 1. v. 9. *DEUS nos liberavit & vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, qua data est nobis in Christo JESU.* Secundum hæreditas non datur ad meritum. Sed vita æterna est hæreditas 1. Petri 1. v. 4. Ergo &c. *Tertium.* Necessitas bonorum operum nostrorum ad vitam æternam consequendam derogat honorari Christi, quasi ipse suis operibus non satisfecisset pro nostris peccatis, nec gloriam nobis sufficientem promeritus fuisset. *Quartum.* Omnia nostra opera sunt alioquin DEO debita varijs titulis, creationis, redemptionis, dominij, cöoperationis &c. Ergo nihil merentur; qui enim solvit debitum, nihil meretur; quod clarè expressit Christus Lucæ 17. v. 9. per similitudinem Domini & servi: *Nunquid gratiam habet servo illi, qui fecit, quod ei imparaverat; non puto. Sic & vos cum feceritis omnia, que præcepta vobis sunt, dicite, servi inutiles sumus, qua debuimus facere, fecimus.* Imò Deus ipse facit bona opera nostra. Isaia 26. v. 12. *Omnia opera nostra operatus est nobis Dominus.* Ad Philip. 2. v. 2. *qui operatur in nobis velle & perficere.* *Quintum:* Nostra opera nullo modo respondent gloriæ Cælesti. Ergo illam de condigno non meremur. Antecedens probatur ex Apost. ad Rom. 8. v. 18. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis.* *Sextum.* Quo modo parvuli justificantur & salvantur, eo etiam modo adulti justificantur & salvantur; quia unus est justificatio-

nis & salvationis modus, & ratio in omnibus justificatis & salvatis; unde ait Christus Marci 10. v. 15. *Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* Atqui parvulis baptizatis vita æterna donatur solò jure hæreditatis. Ergo etiam adultis baptizatis & credentibus vita æterna datur solò jure hæreditatis. *Septimum* denique. Nomen meriti nusquam reperitur in Sac. Scriptura, sed ab hominibus est confictum. Ergo meritò respuendum.

XVI. Hunc Errorem ita apertè refellunt testimonia Sac. Scripturæ priore parte adducta, ut non nisi ex odio Catholicorum & pruritu contradicendi Ecclesiæ ortus esse videatur; quod non obiter insinuat Calvinus in antidoto cum enim retulisset, Patres Concilij Tridentini, Sess. 6. c. 16. definivisse, juxta verba & sensum Scripturæ vitam æternam esse mercedem bonorum operum, ait ipse non minùs impudenter, quàm audacter, *in eo ego dissentio; quasi verò eandem auctoritatem haberet, quod ipse ex suo cerebro corripuit, ac SS. Patres ex SS. Litteris sentirent. Moderatiores sunt posteriores Sectarij, qui fatentur quidem, vitam æternam esse mercedem, & dari intuitu bonorum operum (cum hoc clarissimè asserat Sac. Scriptura) non tamen dari ex merito & dignitate ipsorum operum, sed ex mera DEI promissione & liberalitate. Verùm & isti errant. Nam si datur vita æterna intuitu bonorum operum, seu propter bona opera, certè datur ex merito bonorum operum, quod convincunt rationes à nobis propositæ. Argumenta in contrarium nihil evincunt.*

XVII. Respond. *ad Primum*, distinguendo Majorem. Id quod datur gratis, non datur ex merito, si totaliter sit gratuitum, concedo: si tantùm originaliter negatur. Nam quia gratia actualis est origo gratiæ sanctificantis: hæc verò tribuit valorem operibus, quibus mereamur vitam æternam, ideo vita æterna dicitur gratia. Unde etiam clarescit, cur eadem vocetur corona Justitiæ & Misericordiæ; illud 2. ad Timoth. 4. v. 8. hoc psal. 102. v. 41. quia scilicet Paulus in priore ad merita: David in posteriore ad gratiam illorum radicem respexit. *Ad secundum* negando Minorem. Nam beatitudo cælestis duobus titulis dari potest; hæreditatis scilicet & præmij; priore dat DEUS vitam æternam Justis tanquam Filijs Adoptivis per gratiam sanctificantem: posteriore tanquam Operarijs bene laborantibus in Vineâ Domini seu Militibus præclare pugnantibus & vincentibus; qui modus dandi est illis honorificentior, & jucundior; quamvis non solùm nudam æstimationem adjungat, sed est physicum augmentum; etenim adultis propter merita multo major gratia & gloria datur, quàm infantibus post baptismum morientibus, qui cælestem gloriam solo titulo hæreditatis accipiunt, ut diximus supra. *Ad Tertium*, nostra merita nihil derogare honori Christi. Nam 1. gratia prima sanctificans & gloria datur propter ejus merita, nos enim de condigno mereri illam non possumus, ut ex dictis patet. 2. etiam augmentum gratiæ & gloriæ sæpe datur propter merita Christi, quando scilicet per usum Sacramentorum confertur absque nostro merito condigno. 3. etiam merita nostra condigna pendunt ex meritis Christi propter quæ datur gratia actualis, & prima gratia Sanctificans. 4. nostra merita non requiruntur ex de-

fectu meritorum Christi, sed ex speciali decreto DEI, quod cedit in majorem gloriam Christi, quia demonstrat ejus potentiam, & liberalitatem; potentiam quidem, quod tantum nobis gratiæ contulerit, ut jam ipsi mereri possimus: liberalitatem verò, quia voluit nobiscum communicare suam gloriam in merendo, ut præmiùm nobis honorificentius & amplius foret. Cum igitur operum nostrorum merita non tendant ad aliquid novi promerendum; quod Christus non promeruit, sed solùm ad ejus satisfactionem nobis applicandam, ideo nequaquam illa honori hujus derogant; imò sicut vitæ est honori palmitum fertilitas, ita Christo fecunditas bonorum operum, à quo ista præstantiam suam trahunt, sicuti palmdes à vitæ.

XVIII. *Ad quartum*, distinguendo Antecedens. Omnia nostra opera sunt DEO debita, si velit uti suo jure, Concedo: si jus suum remittat, & nobis condonet, Nego. Nam benignus & liberalis Deus noluit summo jure nobiscum agere, sed actiones nostrò arbitrio & dominio subjecit, ac certo præstio nobiscum est pactus; quæcunque enim agimus bona, potuisset nobis præcipere, sed paucissima præcepit; reliqua verò tantum consulvit; & quæ præcepit, noluit gratis exigere. Cum ergo Christus Luc. 17. dixit, nos esse servos inutiles, id est, pigros, qui nihil ultra debitum faciunt, intelligendum cum tæcitâ conditione: si vellem jure rigido vobiscum procedere, nihil mercedis vobis deberem, tanquam mancipijs, sed sponte me obliquo ad remunerationem. Ita locum hunc exponit D. August. Serm. 3. de verb. Dom. Altec eundem explicant D. Ambros. & V. Beda in commentar. qui itidem non sunt contra bonorum operum merita, ut patet legenti. Benevolus Lector obiter hic advertat, quomodo hæretici S. Scripturâ abutantur; paulò ante objecerunt, nos esse Filios, & vitam æternam deberi nobis titulo hæreditatis sine ullo nostro labore: Nunc obijciunt, nos esse servos inutiles, quibus nihil debeatur, scilicet hoc agunt, ut veritatem oppugnent, quocunque modo id fiat. *Ad quintum*, iterum distinguendo Antecedens. Nostra opera non respondent gloriæ cælesti, si spectentur physicè secundùm laborem & dolorem, quem in se continent, Concedo; quia gaudium cælestis incomparabiliter majus est, quàm molestia & miseria hujus vitæ, ut affirmat Apost. loc. citi si verò spectentur moraliter secundùm dignitatem & valorem moralem, quem habent ex supernaturali gratia & sanctitate. Nego. Sic enim acquirunt pretium gloriæ cælestis; perinde ut in rebus humanis moneta physicè considerata secundùm naturam metalli auri vel argenti nec minimam Aviculam adæquat; at si attendamus valorem moralem, quem habet moraliter ex hominum æstimatione, non solùm æquat, sed etiam superat pretium quorumcunque animalium & hominum, ut patet in mancipijs, quæ paucis florenis veneunt. *Ad sextum*, Argutationem hanc esse prorsus puerilem, in qua tot vitæ labor unica Major propositio cum suis fulcimentis siculneis. Si enim omnimoda paritas inter parvulos & adultos in dispositione ad justificationem & salutem requiritur (de dispositione enim, non de causâ formali, ea propositio loqui potest.) Ergo etiam Parvuli debent habere illam fidem actualem specialem, quæ per dilectionem operatur, servat mandata &c. quæ supra

mera deliria. Ratio, quâ fulcitur Major, est mera principij petitio aut variatio phrasîs potius. Christi verba male in rem præsentem trahuntur; cum etiam juxta Gloss. Jenens. aliud ibi Christus non doceat, quàm nisi conversi fueritis ab ambitione illa primatus, & efficiamini sicuti parvuli, id est, quales sunt isti per ætatem, vos per voluntatem reddamini, puta humiles, simplices, invidiæ & ambitionis expertes &c. Videatur Tiranus in cit. text. Ad septimum denique negatur consequentia. Non enim necessum est, hoc meriti nomen in Scriptura reperiri, modo res ipsa reperitur alijs verbis expressa. Sicuti exprimitur nomine præmij, vel mercedis; alioquin etiam SS. Trinitas erit neganda; cum hoc nomen nunquam in Scriptura reperitur. Deinde negatur Antecedens; legimus enim in Ecclesiast. 16. v. 15. *Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum suorum operum.* Ad Hebr. 13. v. 16. *beneficentiæ & commumonis nolite oblivisci, talibus enim hostijs promeretur DEUS.*

XIX. Error quartus. In operibus bonis ac meritis suis Justî nullam fiduciam collocare possunt. Ita Lutherani & Calvinistæ consequenter ad alios suos errores. Probant 1. ex c. 10. Joan. ubi Christus mercenarios reprehendit. 2. ex S. Bernardo in L. de diligendo DEO, ubi sic scribit: *non sine premio diligunt DEUS, est absq; præmij intuitu diligendus sit; vacua nempe vera charitas esse non potest, nec est.* 3. ex S. Thomâ. qui 2. 2. q. 19. a. 4. ad 3. docet, omnem mercenarium cum verâ charitate consistere non posse. 4. ratione. Tum quia servile ac fordidum videtur, operari propter mercedem. Tum quia DEUS amore amicitiae non concupiscentiæ diligendus est. His Amesius Tom. 4. fol. 494. adjungit quasdam sequelas ex nostris doctrinis, quasi agnosceremus perniciosam ac periculosam esse doctrinam de justificatione ex meritis.

XX. Error iste omni S. Scripturæ, Patrum, & Rationis suffragio destituitur; unde Amesius more suo ad calumnias vertitur, & loc. cit. Card. Bellarminum confert Baalamo, qui post varias incantationes, quibus coactus est maledicere Israëlitis, divinitus tamen adigebatur, ut benediceret ipsis. Sic dicit, *Bellarminum postquam integris aliquot libris omnes nervos intendit meritis contra gratiam DEI præpugnandis, subito hæc in sine mutatum tollere omnem meritum usum, & ad solam gratiam confugere;* quasi verò Cardinalis Bellarminus negasset merita, dum propter incertitudinem propriæ justitiæ utilissimum esse affirmavit, omnem nostram justitiam in sola DEI misericordia & benignitate ponere. Ecce quomodo nugacissimus hic Sycophanta dum omnia alia illi desunt, ad errorem suum tuendum & ad obesa sua mendacia convertatur. Argumenta futilia sunt.

XXI. Respond. Ad 1. 2. & 3. Mercenarios propriè non vocari, nisi qui mercedem solam, aut præcipuè inveniunt; isti enim sunt, qui si merces nulla presto esset, Domino non servirent. Hos igitur Dominus, nec non D. Bernardus, & S. Thomas merito reprehendunt; nos autem post Bellarminum non dicimus, in bonis operibus solum vel præcipuè spectandam esse mercedem, sed DEUM, ejusque gloriam tanquam finem ultimum: mercedem autem tanquam finem secundarium, qui propter DEUM ejusque gloriam expectatur; cupimus quippe DEUM videre,

atque ex ejus visione felices effici, ut tanto ardentius & tenerius Dominum diligamus. Ad 4. Servile ac fordidum esse, intueri mercedem opere ipso ac labore viliores, id quod faciunt mercenarij DEO præcipuè propter bona temporalia servientes: non justî, qui spectant mercedem eminentissimam in ipsius DEI visione consistentem. Ad 5. Amorem concupiscentiæ, propriè dici, cum quis alterum diligit potissimum propter se, non propter illum; si enim quis diligit amicum, præcipuè propter ipsum, etiam si secundariò mercedem operis ab illo expectet, censet rectè Bellarm. L. 5. de Justif. c. 9. adhuc amori amicitiae accenseri posse. Adjectæ sequelæ Amesij dignissima sunt desperato Lutheri & Calvinii Evangelio, & ad nihil faciunt, nisi ad miseram plebem deludendam.

CONTROVERS. LVIII.

DE NATURA ET CONDITIO-
ne meriti, & quæ sub hoc ca-
dant?

MERITUM est opus cedens in honorem si-
ve obsequium alterius, quatenus po-
tens est movere ad illud munere ali-
quo compensandum. Talia supernaturalia ope-
ra in Justis respectu DEI dari, hæcenus statui-
mus; quia verò non quælibet actio hominis justî
est meritoria, & capax hujus valoris à coexis-
tente gratiâ recipiendi, nec quilibet impetrari
per illam potest; videndum nunc, quid ad meri-
tum requiratur, & quæ sub illud cadant, eâ ta-
men moderatione, ut scholasticis disceptatio-
nibus non ultra limites nostros immoremur.

PARS PRIOR.
DOCTRINAE CATHO-
LICORUM.

1. Cardinalis Bellarminus L. 5. de Justif. c. 2. a-
requirit Septem conditiones ad hoc, ut ali-
quod opus dici possit verè ac propriè meritorium. 1.
ut sit bonum. 2. ut fiat in obsequium Dei. 3. ut qui
meretur, sit viator. 4. ut sit opus liberum. 5. ut quæ
meretur, sit amicus ac gratus Deo. 6. ut intercedat
promissio. 7. ut opus ex charitatis virtute pro-
cedat. Esparza de Act. hum. q. 31. & nonnulli
alii Recentiores addunt 8. Conditionem, ut opus
sit arduum. Statuamus de singulis breviter.

Doctrina prima. Opus Meritorium debet
esse bonum, & virtuosum, Ita omnes Catholi-
ci. Nam peccata pœnam merentur, non præmi-
um, nec quisquam nisi extremè impius flagitia re-
muneratur. Nonnulli tamen Doctores existimant
ad temporale præmium sufficere actum bonum ex
objecto, licet malo fine aut aliâ circumstantiâ virtuo-
sum; quod probant aliquot exemplis S. Script.
Exod. 1. v. 21. Obstetrices ægyptiacæ ob infantes
Judæorum servatas largam à DEO remuneratio-
nem acceperunt; quia obstetrices timuerunt DEUM,
adificavis.



edificavit eis domos, hoc est, prole & opibus locupletavit; quod factum ex objecto quidem bonum, sed mendatio inquinatum fuerat; finxerunt enim familias Judæorum non uti operâ obstrictum; unde S. Gregorius 18. Moral. c. 2. ait: culpa mendacij terrenam mercedem accepit. Ezech. 29. v. 19. Nabuchodonosori Regi Assyriorum propter bellum Judæis illatum (licet injustum & malo fine) DEUS mercedis loco dedit spolia Ægypti; quod saltem materialiter divinæ voluntati obsecundasset puniendo scelera Judæorum. Hæc opinio jure rejicitur à Theologis. Tum quia bonum est ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu; nec sufficit objecti bonitas, nisi omnes circumstantiæ sint bonæ. Tum quia Deus non abstrahit, sed adæquatè ponderat hominum actiones; alioqui nullum fere peccatum foret, in quò non aliquid boni ex objecto & circumstantia præmio dignum reperiretur. Hinc infero, etiam actum indifferentem non posse esse opus meritorium. Nam DEUS nequit amare res aliter, ac ipsæ amari postulant; sicut ergo amare non potest, quod peccatum est, ita similiter, quod bonum non est. Ad contraria argumenta ex Scriptura adducta. Respond. obstetricis Ægyptias à DEO mercedem accepisse non propter mendacium, sed propter misericordiam infantibus impensam, qui fuerunt actus planè diversi, unus malus, alter bonus; quin etiam mendacium ipsarum à culpa excusari potest per invincibilem ignorantiam; quid enim mirum est, ethnicas mulieres putasse mendatium officiosum esse licitum, cum id etiam inter Catholicos magni quidam Doctores existimarent. In Nabuchodonosore quoque duo actus distinguendi sunt; unus obedientiæ erga Deum; cujus instinctu se ad bellum Judæis inferendum impelli sentiebat, ut ex S. Ambrosio refert Gratianus. cap. 23. q. 5. c. 49. alter malus avaritiæ & crudelitatis in bello gerendo exercitiæ; priorem remuneratus est Deus: non posteriorem.

II. Doctrina secunda. Opus Meritorium debet fieri in obsequium DEI. Nam meritum est correlativum ad mercedem ab alio accipiendam: & omnis, qui meretur, apud alium meretur. Quare etsi non repugnet, Deum tribuere suam gloriam, vel aliud donum creaturæ habenti talem vel talem perfectionem, aut exprerenti talem & talem actum absque respectu ad DEUM, ejusque obsequium, talis tamen collatio non habebit rationem præmij, aut mercedis, sed puræ donationis.

III. Doctrina tertia. Opus Meritorium debet esse liberum. Nam necessaria nihil merentur 1. ad Corinth. 9. v. 7. Si volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio est mihi credita, quasi diceret, nihilominus debeo facere. Quod etiam SS. Patres tradunt S. Hierony. L. 2. contra Jovian. ubi, inquit, necessitas, ibi nec damnatio nec coronatio. S. Augustinus L. 2. de gratiâ & lib. arb. c. 1. & panâ injusta esset, & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam. S. Bernardus Serm. 81. in Cant. ubi non est libertas, ibi nec meritum. Ideo creaturæ irrationales licet gnaviter DEO hominibusque inserviant, nihil tamen merentur, quia necessariò operantur. Confirmatur. Id tantum censetur dignum remuneratione alterius, quod voluntate operantis in alterius obsequium dirigitur, si enim necessariò debet tale opus fieri, non tam

censetur factum in obsequium alterius propriâ operantis voluntate, quam naturâ necessitate; unde etiam libertas ista debet esse actualis, & non tantum potentialis; meritum enim cum sit opus in alterius obsequium liberè impensum, in actu essentialiter consistit.

IV. Doctrina quarta. Opus Meritorium debet fieri in statu viæ, hoc est in præsentî vitâ mortali. Ratio congruentiæ est; quia operâ meritoria Deus non solum requirit, ut honorificâ sibi, sed etiam ut utilia nobis ad gloriam consequendam Ergo consecutâ gloriâ cessat ratio merendi, & universim finitò cursu hujus vitæ non amplius erit locus meritorum; id quod apertè docet Christus Joan. 9. v. 4. Venit nox, quando nemo poterit operari. Et Apost. 2. ad Corinth. 6. v. 4. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Ad Gal. 6. v. 10. dum tempus habemus, operemur bonum. Ideo monet Ecclesiast. c. 9. v. 10. quodcunque potest facere manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò in properas, ubi per Inferos intelligitur sepulchrum vel limbus Patrum. Idem tradunt SS. Patres Hierony, in 1. ad Corinth. 6. Tempus sementis est præsens vita, quam currimus, cum ista vita transierit, operandi tempus auferatur. D. August. c. 118. Enchirid. hic omne meritum comparatur, quò post hanc vitam possit quis revelari. S. Prosper L. Sententiar. sent. 172. frustra sibi homo post hanc vitam promittit, quò in hoc corpore comparare neglexit. Quæ verò sit causa hujus conditionis; an ipsa natura meriti eam requirat: an verò ex solâ DEI ordinatione proveniat, discrepant Doctores. Probabilius sentire videntur, qui eandem soli DEI ordinationi adscribunt, quæ certum tempus meritis ordinavit.

V. Doctrina quinta. Opus Meritorium de condigno vitæ æternæ fieri debet in statu gratiæ. Ita communis Catholicorum. Probat. 1. Ex Sac. Scriptura 1. ad Corinth. 13. v. 3. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ad Rom. 8. v. 17. Si autem filij, & hæredes &c. Probat. 2. ex Trid. Sess. 6. c. 16. maxime ex illis verbis, quibus asserit, Christum in ipsis justificatis jugiter influere virtutem, quæ bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto DEO gratiâ & meritoria esse possunt. Probat. 3. Ratione. Meritum de condigno importat condignitatem valoris ac præmij. Sed sine gratiâ habituali non habent opera nostra condignitatem valoris, ac gloriæ. Ergo &c. Probat. Opus extra statum gratiæ, licet factum virtibus gratiæ auxiliantibus, & in entitate supernaturale sit adeoque ex hac parte proportionem aliquam habeat, quia tamen est actus inimici, deficit à proportionem ad meritum de condigno requisitâ, quò debeatur esse opus gratum præmianti, ut eo moveatur ad præmium merenti tribuendum; ut autem obsequium sit acceptum præmianti, supponere debet personam, à quâ tale obsequium exhibetur, amicam; hinc Joan. 1. v. 16. gratiâ pro gratiâ, hoc est, gratiâ mercedis pro gratiâ meritorum, sive charitas patriæ pro charitate viæ juxta S. Augustin. Lib. de gratiâ & Lib. arbit. c. 9. Atque hæc ratio procedit de merito gloriæ, & cujuslibet doni supernaturalis, ejusque augmenti, ita ut juxta Vasq. in 1. 2. D. 216. c. 1. alioque nec de absoluta Dei potentia possit creatura absque gratiâ Sanctificante per opera in obsequium Dei exhibita de con-

de condigno vitam æternam, aut quodcunque aliud supernaturale donum promereri. Videri potest cit Author.

VI. *Doctrina sexta.* Bona Justorum opera, ut sint completè & proximè meritoria de condigno antecedere oportet aliquam ordinationem, seu promissionem DEI de retribuendo distinctam ab ordinatione in gratia essentialiter inclusâ. Ita S. Thomas 1. 2. Q. 114 a. 1. Card. Bellarm. L. 5. de justif. & plerique alij Theologi. Probatum 1. ex Concil. Senonensi. decreto. 16. ubi ex illo Math. 20. v. 2. conventionem autem factâ cum operarijs ex denario diurno &c. colligit, *promissionem divinam esse necessariam ad meritum de condigno ad vitam æternam.* Cæteri quoque Patres semper mentionem faciunt promissionis, quos vide apud Bellarminum loc. cit. Probatum 2. Ratione: Tum quia, qui meretur aliquid de condigno, acquirit verum jus ad habendum præmium; *merces enim*, inquit Apost. ad Rom. 4. v. 4. *non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Atqui non potest homo verum aliquod jus acquirere in gloriam æternam, aut aliud donum supernaturale; quippe nequit operarius laborans in vinea Patris-familias habere jus ad obtinendam mercedem ex bonis illius, nisi promissio aliqua aut pactum inter illos intercesserit. Ergo &c. Tum quia opera bona Beatorum in cælo liberè facta: & animarum in Purgatorio elicita: item honesta opera Enoch & Eliæ, quæ nunc ab ipsis exercentur, non sunt meritoria vitæ æternæ, scilicet quia talibus operibus nulla facta est promissio. Si dicas, eos non esse in viâ, sed in termino. Contra hoc est. Enoch & Elias non sunt in termino: Animæ in Purgatorio sunt adhuc in via satisfaciendi, cur non & merendi? Item Beati cur non dici possint in via respectu ulterioris gradus gloriæ, si promissio non requiratur, cum omnes alias condiciones ad merendum habere videantur. Tum quia nec ipsa opera Christi fuerunt meritoria citra pactum & promissionem DEI, ut colligunt Doctores ex illo Isaia 53. v. 10. *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

VII. *Doctrina septima.* Ad meritum non requiritur, ut sit opus à charitate elicium vel imperatum. Ita contra Bellarminum Lib. 5. de Justif. c. 15. & nonnullos plerique alij Theologi. Probatum 1. ex S. Scriptura, quæ generatim tribuit meritum bonis Justorum operibus 1. ad Corinth. 3. v. 8. Jbid. c. 15. v. 58. *unusquisque autem propriam accipiet mercedem secundum laborem suum abundantes in opere Domini semper scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Ad Hebr. 6. v. 10. *non est injustus Dominus, ut obliviscatur operis vestri.* Immeritè autem quis hæc & similia restringet ad actus solius charitatis elicitos vel imperatos. Probatum 2. Ex Concil. Tridentino Sess. 6. c. 16. ubi ad hoc, ut sit opus meritorium æternæ vitæ, requiritur solum, ut sit hominis justificati, & factum ex peculiari auxilio & influxu Christi Capitis. Non obstat, ibidem requiri, ut in DEO sit factum; id namquedixit, non quasi requireret ad omne opus bonum charitatis imperium, sed ut significetur, ea opera esse vitæ æternæ meritoria; quæ ex peculiari virtute Dei procedunt; omnia autem, quæ ex peculiari Christi Capitis influxu procedunt, dici possunt in DEO facta; Unde idem Concilium ibidem can. 32. indefinitè docet, ho-

minem justum bonis operibus per DEI gratiam & JESU Christi meritum factis vitam æternam promereri; quibus opera virtutum supernaturalium procul dubio comprehendit; quippe loquitur de operibus, quibus præcepta divina servantur, quod æque fit per hæc, quàm per illa à charitate elicita vel imperata. Unde facile solvuntur argumenta, quibus nititur Bellarminus; nullo enim illorum necessitas charitatis ad meritum pij operis evincitur, ut opus non sit, ea sigillatim referte.

VIII. *Doctrina octava.* Opus Meritorium per se non requirit contemptum arduum commodi temporalis fortiter ad se allicientis & retrahentis ab honestate virtutis propter impossibilitatem talis commodi cum tali honestate. Ita videntur plerique Theologi supponere, dum de meritis agentes hujus arduitas tanquam specialis conditionis nullam mentionem faciunt. Probatum: Tum quia Angeli in via meruerunt beatitudinem supernaturalem patriæ per conversionem sui ad Deum, à quò nullatenus retrahebantur commodo temporali sibi proposito, & fortiter alliciente, si Deum desererent. Tum quia expressè docet id ipsum S. Thomas 1. P. q. 62. a. 4. non agnoscent in Angelis aliam difficultatem, quàm quod illud bonum, utpote supernaturale, fuerit super illorum vires. Tum quia Concilium Trident. prior. S. cit. nullam facit mentionem arduitas, dum condiciones ad meritum requisitas ostendit. Tum quia si quis potum aquæ tribuit Discipulo Christi, meretur; & quæ rogo in isto opere arduitas? Tum quia appetitus inferior non semper graviter vehementerque repugnat; etenim non repugnat cum honesto præcisè, sed quatenus impossibile cum commodo temporali, ad quod ille inclinatur, & subinde levissimum est, ut proinde ex ejus jactura non reportetur victoria ardua. Tum quia laudabilitas non unice provenit ex difficultate superanda, sed ex liberâ electione magis conformi rationi; sic reverâ licet Rex aliquis possit utrumque eligere sine ullo suo incommodo & difficultate; si tamen eligat id, quod est honestius & magis decens, planè censetur ab omnibus laude dignissimus, & à DEO præmium meritè exigere. Non obstat illud Math. 11. v. 12. à diebus Joannis Baptistæ usque nunc regnum cælorum vim patitur. Nam id regnum cælorum sumitur pro Evangelio & Ecclesia: non pro gloriâ & beatitudine æterna, ut sensus sit: Ecclesia à diebus Joannis Baptistæ vim patitur, & qui in illam intrant, violenter irruunt, hoc est, tot Gentiles ad fidem veniunt, prædicante Joanne, ut quasi deturbare videantur Judæos à possessione veræ Dei Ecclesiæ, quam titulo hæreditatis hætenus tenebant. Videantur Maldonatus, & alij in cit. locum, item P. Esparza de Actib. hum. q. 31. ubi hoc maximè textu Sac. Scripturæ nixus oppositorum tenet.

IX. *Doctrina nona.* Ex his Meritum supernaturale definitur potest: opus supernaturale liberum in & ex gratia factum ad obsequium DEI, potens movere hunc ad illud munere aliquo compensandum. Non discedunt ab hac definitione, qui meritum breviter describunt; opus exigivum compensationis. aut: obsequium factum DEO, & ex se potens movere ad retributionem doni supernaturalis. Nostra definitio ex singulis conditionibus hætenus explicatis abunde constat.

X. *Doctrina decima.* Præter istud meritum, quod vocant Theologi *de condigno* seu perfectum Filiorum DEI, datur aliquod meritum inferius illo, quod appellant *de congruo*; & licet Patres & Concilia hujus expressè non meminerint, re ipsâ tamen expresserunt. Probatur. Tum quia peccator potest mereri justificationem & remissionem peccatorum. Atqui non potest mereri de condigno. Ergo merito quodam inferiore seu de congruo. Minor constat ex Tridentino Sess. 6. c. 8. ubi ait: *gratis autem ideo justificari dicimur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, fides sive ipsa opera ipsam justificationis gratiam promerentur; scilicet merito perfecto, seu de condigno; unde subditur; si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non esset gratia.* Majorem tradit S. Augustinus epist. 105. *Nequè ipsa remissio peccatorum, ait, sine aliquo merito est, si fides eam impetret; neque enim nullum est meritum fidei.* Item Epist. 106. *Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus; loqui autem S. Patrem in his & alijs locis de merito fidei, quæ elicitur à peccatore, communiter fatentur Theologi, & est quasi sensus totius Ecclesiæ.* Tum quia Justus potest mereri alijs remissionem peccati, justificationem, & alias gratias. Atqui non meretur de condigno. Ergo de congruo. Major & Minor inferius probabuntur. Itaque Meritum condignum est, quod adæquat præmium, sive adfit, sive non adfit promissio; hæc enim tantum requiritur ad meritum de condigno proximo, & in actu secundo: Meritum verò de congruo est, quod est infra præmiū, sive adfit promissio ad præmium excedens, uti verè adest actui contritionis in ordine ad primam gratiam sanctificantem & remissionem peccatorum, sive non adfit. Licet autem deficiat ab æqualitate, habet tamen aliquam proportionatam dignitatem. Ita Justus in gratia constitutus operibus supernaturalibus condignè meretur gratiam & vitam æternam; quia bonitas illorum operum adæquat præstantiam illorum præmiorum, præsertim adjunctis Christi meritis infinitis. At si peccator aliquid boni faciat, non meretur condignè gloriam cælestem ob defectum gratiæ sanctificantis, unde valor operum præcipue descendit; decet tamen divinam Liberalitatem & Beneficentiam, ut respectu talis operis plura auxilia gratiæ & mediâ salutis impertiat; unde experientia constat, peccatores elemosynis gratiam pœnitentiæ impetrasse. Non obstat merito condigno, quod Deus ultra condignum remuneretur, uti multi Theologi docent ex illo Luc. 6. v. 38. *Mensuram bonam & confertam & cœgulatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum; quia hic excessus præmij est gratuitus, & eo dempto per abstractionem, reliquum præmium est æquale merito.* Unde colligere licet, allatam definitionem meriti de condigno accommodari posse merito congruo si particulas illas in gratia tollas.

XI. *Doctrina undecima.* Præmia, quæ homo apud Deum condignè vel congruè meretur, sunt duplicia; nimirum temporalia & spiritualia. Temporalia promissit Deus Psal. 33. v. 11. *Inquirentes Dominum non minuentur omni bono, id est, nihil ipsis deerit.* Matth. 19. v. 29. *qui reliquerit domum, vel patrem &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Luc. 18. v. 30. *Multò plura recipiet in hoc tempore, & in seculo venturo vitam æternam, quæ tamen promissiones cum tacitâ conditione intelli-*

gendæ sunt; si bona temporalia expendant salutem animæ, alioquin præstat illis carere. Multi etiam Theologi negant, bona temporalia cadere sub merito condigno non defectu valoris, quasi bona opera non adæquent eorum pretium, cum multò præstantioribus bonis spiritualibus adæquentur, sed quia Deus jam alia sufficientia bona illis destinavit, quibus eorum valor exhiberitur; unde malunt illa appellare additamenta gratuita; quæstio est de nomine & exigui momenti.

XII. *Doctrina duodecima.* Spiritualia præmia sunt triplicia, nempe Actualis Gratia, Habitualis, & Cœlestis gloria. Ita omnes. Quod ad Gratiâ actualem attinet, distinguendæ sunt quatuor ejus species. 1. vocatur *Inchoativa*, quæ primum actum supernaturalem excitat. Ista non cadit sub merito ullum etiam congruum, sed pure gratis datur à DEO, ut docet Tridentinum Sess. 6. c. 5. & est receptum axioma Patrum *principium meriti non cadit sub merito.* 2. *Continuativa*, quæ ad sequentia opera impellit. Ista cadit sub merito congruum, sed non condignum, ut patet experientia multorum Sanctorum, qui pluribus annis innocenter & piè transactis tamen permisi sunt cadere in gravia peccata, ut David, Petrus &c. consequenter, aliquando carverunt efficaci gratiâ, quam Deus non subtraxisset si eam condignè meriti fuissent. 3. *Reparativa*, quæ ad gratiam peccato perditam pœnitentiâ resuperandam instigat. Ista non cadit sub merito condignum; hoc est, nullus Justus condignè mereri potest, ut, si quando in peccatum mortale incidet, per pœnitentiâ resurgat; quia tale meritum esset frustraneum, nec unquam suo præmiò potiri posset, siquidem per sublequens peccatum mortale omne meritum extinguir. De reliquo certum est, justum orando impetrare posse gratiam pœnitentiæ, si quando incidit in mortale, ut pulchro exemplo ostendit Baronius Tom. 5. An. 424. num. 3. An autem etiam mereri congruo? quæstio est de nomine, utrum idem sit mereri de congruo, ac impetrare, quod negant aliqui: alij affirmant, res non magni est momenti. 4. *Terminativa*, quæ finalem perseverantiam tribuit, & gratiam usque ad mortem conservat. Hæc etiam non cadit sub merito condignum Est de fide ex Conc. Trident. Sess. 6. can. 16. *si quis magnum illud usque, ad finem perseverantia donum se habiturum absolutâ & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Constat etiam experientia, nonnullos vitam piè traductam malo sine clausisse in desperatione, vel superbia. Videatur Tanner Tom. 2. disp. 6. q. 6. a. n. 225. ubi doctrinam hanc ex Scripturâ, Patribus, & ratione confirmat; Ultrum autem saltem de congruo mereri possimus, ut nonnulli volunt, aut solum assiduis precibus impetrare, sicuti plerisque alijs placet, quæstio est de nomine, & diversâ acceptione illius meriti, ut paulò ante diximus. Videatur cit. Author. n. 228.

XIII. *Doctrina decima tertia.* Quod ad Gratiâ Habitualem & Gloriam cœlestem attinet, Primæ harum gratiæ habitualis acquisitio non cadit sub merito condignum (hoc enim jam supponit gratiam acquisitam) sed congruum. Ita omnes. Nam præviæ dispositiones eam congruè merentur, teste D. Augustino epist. 105. cit. ubi ait;

Neque ipsa remissio sine merito est, si fides hanc impetrat, neque enim nullum est meritum fidei, quâ fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, & descende iustificatus. Idem intelligendum de alijs dispositionibus doloris, amoris &c. Augmentum verò gratiæ sanctificantis cadit sub meritum iuxta decisionem Trident. Sess. 6. can. 32. ubi anathema dicitur ei, qui negaverit, iustificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ. Ratio est, quia opus hominis iusti potest habere omnes conditiones ad meritum requisitas, nempe libertatem; honestatem &c. De gloria Cœlesti supra jam diximus Controv. 57. §. 4. eam cadere sub meritum condignum. Confirmatur hic obiter. Gratia est semen gloriæ, & dignificat opera hominis Iusti supernaturalia, hoc ipso, quod faciat ea opera Filij & Amici DEI. Ergo &c. Probatur Antecedens, quia opera Filij Dei merentur hæreditatem paternam; & opera Amici Dei vel maxime merentur conspectum Amici. Utrum homo etiam primam gloriâ mereri possit per actum illum, quò extra Sacramentum ultimam ad gratiam habitalem disponitur, Scholasticis relinquimus.

XIV. *Doctrina decima quarta.* Quilibet actus supernaturalis bonus & liber Iusti, est meritorius augmenti Gratia & gloriæ. Ita D. Thomas 1. 2. q. 114. a. 8. ad 3. ubi ait: quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicuti & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna. Item Scotus Dist. 14. & 22. q. 2. quos Scholarum coriphæos communiter sequuntur cæteri Theologi contra M. Bannez. 2. 2. q. 24. a. 6. docentem, non intendi gratiam, nisi per actus intensiores ipsâ. Probatur doctrina nostra 1. ex Scriptura. 1. ad Corinth. 3. v. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et infra v. 13. & 14. *Unusquisque opus manifestum erit: & unusquisque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superadificavit, mercedem accipiet.* Ex quibus verbis sic ratiocinari possumus: omnia opera in iudicio probata & mansura accipient mercedem. Sed opera remissa in iudicio probabuntur & remanebunt; sunt quippe argentum, aurum, gemma. Ergo mercedem accipient. Probatur 2. ex Trid. Sess. 6. c. 16. & can. 24. ubi sine ullâ limitatione definitur, *justum mereri augmentum gratiæ per bona opera;* quæ verba sine evidenti ratione vel auctoritate Scripturæ aut Conciliorum non debent detorqueri ad opus sub tali & tali intentione. Plura S. Scripturæ & Patrum testimonia afferit Arriaga Disp. 51. de augmento Iustif. Sect. 2. Probatur 3. ratione. Tum quia DEUS non tantum punit peccatum gravissimum & intensissimum, sed etiam levius quoddam ac remissum. Ergo etiam præmia non tantum opera intensissima, sed etiam remissiora. Tum etiam quia universim novis facinoribus nova debentur; & verò etiam nova dantur præmia. Cum ergo Deus multò liberalior magisque munificus sit, quàm homines, utique novis quibusvis operibus bonis, (esto æqualia prioribus non sint, aut etiam remissiora) debitorem se agnoscat, & verò se etiam exhibebit. Argumenta, quibus nititur Bannez, ex

Philosophia petita & absque robore sunt,
Videatur Arriaga loc.
cit.

✠:o: IHS. :o:✠

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XV. **E**rrores primus est Michaëlis Baij, qui propositione 16. asserere sinit ausus, sufficere ad meritum condignum vitæ æternæ obedire divinæ legi, etsi obediens non existat in gratia. Probat, 1. Matth. 19. v. 17. ait Christus: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* non autem dicit, si vis ad vitam ingredi, cura ut adopteris in filium; 2. DEUS non accipit personas, sed gloriam & honorem tribuit omni operanti bonum. 3. Opus malum ex natura sua meretur pœnam. Ergo & bonum meretur præmium.

XVI. Error iste damnatus fuit in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. Nam ex Sac. Scriptura constat, meritum ita fundari in amicitia cum Deo, ut simul ac Deum aliquis offendit, amittat omnia merita Ezech. 18. v. 24. *Si autem avertit se iustus à iustitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius non recognoscantur.* At si merita non penderent à statu, & qualitate personæ, sed à solâ obedientiâ legis, non deberet is, qui Deum offendit, amittere bona opera per obedientiam Legis antea parata; sicuti qui laborat in vinea alicujus mercede conductus non perdit mercedem suam, si forte inimicus fiat Domini vineæ; siquidem meritum illud non in amicitia, sed in solo opere & labore fundatur.

XVII. Respond. ad 1. Scripturam aliter ad infideles: aliter ad fideles loqui, ut advertit S. Augustinus L. de natura & grat. apud illos fidem & baptismum prædicare: apud hos opera bona & obedientiam Legis commendare; in quem posteriorem sensum intelligendus est Christus loco cit. & Ecclesiast. c. 15. v. 15. *ajens si volueris mandata servare, conservabunt te.* Ad 2. acceptationem personarum esse vitium contrarium Iustitiæ, non Misericordiæ & Liberalitati; quam Deus exercet antecedenter ad opera bona. Adhæc accipere personam non esse attendere ad quamvis qualitatem personæ, sed ad eam, quæ ad causam nihil pertinet; unde si iudex præmia distributurus dignitatem personæ observet, non sit acceptator personarum; quia ex ipsa dignitate meritum dependet. Quare Deus nec ut Princeps, nec ut iudex accusari potest acceptationis personarum, dum vel majorem gratiam liberaliter tribuit huic, quàm illi, vel majus præmium & gloriam habenti majorem dignitatem ex gratia intensiore. Ad 3. facilius esse peccare, quàm bene agere; & ideo ad puniendum sufficit libertas arbitrij; ad bonum opus autem requiritur gratia. Insuper ut peccato debeat pœna, nulla promissio est necessaria; etenim qui lædit alterum, iustitiâ violat, & ideo ex iustitiâ satisfacere tenetur, etiamsi nulla interveniat promissio. At verò ut bono operi debeat merces ex iustitiâ, oportet intercedere pactum, quia ut diximus, non tenetur unus alterius obsequium acceptare, nisi conventio intercesserit. DEUS autem non promittit mercedem vitæ æternæ nisi per Christi gratiam renatis & adoptatis, ut passim Script. testatur.

XVIII. Dicit aliquis. Si meritum non penderet à solâ obedientiâ legis, sed à statu & qualitate per-

tate personæ; sequitur etiam plus præmij pro æquali opere accipere cum, qui est ratione status gratiæ sanctior, seu plures habet gratiæ gradus, quam accipiat is, qui est minus sanctus. Consequens videtur absurdum, & contra sensum communem. Nam sequeretur, si quis valde Sanctus in fine vitæ eliceret actum tenuissimum meritorium, quod per illum actum tantum præmij consequeretur, quanta erat tota Sanctitas præcedens, quia à quovis gradu illius sanctitatis dignificaretur ad novum gradum gratiæ & sanctitatis. Respond. hanc difficultatem spectare ad Scholasticos, quorum plerique cum S. Thoma in L. 2. Dist. 29. q. 1. a. 4. concedunt sequelam, & negant Minorem. Probationis itidem negant sequelam. Nam gratia præcedens actum non dignificat istum ad majus præmium secundum proportionem Arithmeticam, sed secundum Geometricam majoris ad minus, ut pluribus idem in materia de gratia ostendunt.

XIX. *Error secundus est, vitam æternam non posse deberi, ut hæreditatem & mercedem. Ita ex mente Lutheranorum Gerhardus L. 2. Parte 3. fol. 828. Et ex mente Calvinistarum Amesius Tom. 4. L. 7. fol. 200. ubi ait, hanc esse unam ex præcipuis profunditatibus Satanae, quarum sit mentio Apoc. 2. v. 24. Probationes istorum non sunt aliæ, quam meræ calumniæ. Contra promissionem tamen à nobis requisitam possunt hæc obijci. 1. Peccatum mortale pœnam æternam meretur, etiamsi non accedat pactum. Ergo & bonum opus meretur gloriam, etsi non adsit promissio. 2. Promissio Dei est extrinseca operi. Ergo non facit, ut sit meritorium, sicuti neque ut sit bonum. 3. Absque ullâ promissione & filius per debitam obedientiam Patri dignè meretur hæreditatem: & subditus gratiam per obsequia Principi præstita: & civis dignitatem publicam per labores Reipubl. impensos. Ergo & Justus per debitum cultum DEO exhibitum absque ullâ promissione promereri possunt vitam æternam, ut filij hæreditatem Patris, ut subditi Principis gratiam, ut cæli Cives publicam laudem & honorem virtuti debitum. 4. Si Deus ex promissione seu pacto tenetur homini vitam æternam dare propter merita exhibitâ, sequitur intervenire veram justitiam, & Deum homini obligari. Consequens non potest dici. Ergo &c.*

XX. *Errorem hunc rejicit Tridentinum Sess. 6. c. 16. decernens, vitam æternam proponendam esse fidelibus, & tanquam gratiam (hæreditatem) Filij Dei per Christum misericorditer promissam, & tanquam mercedem bonis operibus à Deo justè fideliterque reddendam. Nam cum simus omnes conditione servi & mancipia Dei, non posset esse justitia inter nos & Deum, nisi ipse liberali conventionione operibus nostris alioquin debitis, etiamsi nulla merces ipsis reddenda esset, præmiuui constituere voluisset. Unde pulchrè S. August. Serm. 3. de verbis Domini: ò magna bonitas DEI, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia ut servi Domino, famuli Deo, subjecti Potenti, mancipia Redemptori, placet, ut amicitiarum nobis præmia promittat. Videri potest Bellarm. loc. cit. L. 5. de Justif. capit. 15.*

XXI. Respond. Ad 1. Negando consequentiam, quia in posteriori casu homo acquirit jus ad bona divina, non in priori. Ad hæc creatura est essentialiter serva Dei. Ergo magis est proportionata ad incurrendum reatum pœnæ, quam ad ob-

tinendam filiationem Dei. Ergo facilius est, & minus requiritur ad inducendum reatum pœnæ, quam filiationem Dei. Ad 2. Promissionem non tribuere operi dignitatem, at tamen ipsam rationem meriti in eo complere; quatenus facit, ut operans habeat jus in præmium, quod alias non haberet. Unde bene advertit Tanner D. 6. q. 6. cit. n. 60. non dicendum, opera nostra mereri apud Deum vitam æternam, seclusâ promissione, sed habere tantum condignitatem ad vitam æternam, & huic secundum proportionem mediij ad finem esse proportionata. Ad 3. Negando consequentiam. Tum quia omnia nostra obsequia plurimis alijs & strictissimis titulis sunt debita DEO, ut idcirco nullo debito nec gratitudinis quidem remunerari illa teneatur; siquidem ipsa exhibitio obsequij est magis donum DEI, quam meritum nostrum, cum in ratione condigni tota pendeat à gratia liberaliter nobis collata. Tum quia nostris obsequijs nihil utilitatis accrescit Deo, sicuti ex obsequijs unius hominis accrescit alteri, ut proinde præcisâ promissione, nullo debito Deus ea remunerari teneatur, sicuti unus homo saltem debito gratitudinis propter utilitatem inde acceptam remunerari alterius hominis obsequia tenetur.

In 4. & ultimo argumento continetur gravissima difficultas. Utrum inter Deum & hominem dari possit vera Justitia Commutativa: & ille huic propriè obligari? affirmant Thomista, Bellarm. Suarez, Valentia, Mendoza, Arriaga Tom. 1. de Deo D. 30. & 31. & Tom. 6. de Incarn. D. 11. 12. & 13. atque alij multi apud hos relati. Nitentur maxime hoc argumento. Ille obligatus est ex justitia ad aliquid faciendum vel omittendum, qui ejus omissione committit injustitiam. Atqui Deus non acceptando merita aut non reddendo, quod promissit bonis operibus, committeret injustitiam. Ergo &c. Major patet. Minorem sumunt ex S. Script. ad Hebr. 6. v. 10. non enim est injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri. q. d. si oblivisceretur, injustus foret, ut apertis verbis asserit S. August. L. 4. contra Julian. c. 3. Deus ipse non injustus, quod absit, si ad ejus regnum non admittatur justus. Negant Durandus, Valq. Amicus, Lugo, Esparza & alij Recentiores, rati absque imperfectione & imminutione perfectissimi dominij non posse Deum obligari homini. Quare ajunt, promissionem Dei esse formaliter ipsam Fidelitatem, & necessitatem inducere metaphysicam, nec posse conjungi cum negatione rei promissæ: adeoque non esse voluntatem se obligandi ad alium actum reflexum, quo dicat Deus: quia hoc promisi, & turpe est verba non conformare factis, ideo faciam: sed esse voluntatem faciendi aliquid in favorem promissarij, & hoc ipsum revelandi ante executionem illius voluntatis, quæ revelatio fundat in homine promissario certam spem futuri eventus &c. Decisio hujus litis ad Theologiam Scholasticam spectat, in quâ affirmativam sententiam secutus sum, & eandem hic ut communiorem suppono. Videri potest Disputatio mea de Incarnatione Friburgi Brisgoiæ anno 1661. impressa à fol. 304.

XXIII. Porro quæ Amesius loc. cit. ex Durando asserit, & insolenter buccinat, à communi & verissima Theologorum sententia exploduntur; quia æquè meritis Christi, ac nostris advertantur. Quamvis igitur absolute loquendo homo etiam

etiam hypostaticè subsistens aliquid à Deo exigere nequeat, cum omnia ipsius sint, tamen posità huius volitione & pacto, quò non vult opera nostra à nobis gratis, sed mercedem reddere juxta eorum proportionem, verissimè hanc mercedem ab eodem requirere possumus; ita ut illa opera ex iustitia remuneretur.

XXIV. *Error tertius.* Non dari meritum aliud de Condigno: aliud de Congruo. Ita Hæretici communiter, ex quibus Amesius fol. 196. ait: doctrinam hanc Pontificiorum de merito duplici nec veram esse, nec Theologicam dicendam; quia totam Theologiam evertit. Error iste abundè rejectus est in ijs, quæ hætenus diximus. Et quamvis S. Scriptura Patres & Concilia non meminerint apertè meriti sub his titulis: *de Condigno, & de Congruo*, re ipsà tamen utrumque expresserunt, ut supra jam diximus, idque clarè perspeximus. Amesij Calumniæ & cavillationes non sunt curandæ, nec dignæ, quibus refutandis amplius immoremur.

CONTROVERS. LIX.

DE AETERNA HOMINUM Prædestinatione, & Reprobatione.

Materia hæc affinis est præcedentibus de Gratia, de Iustificatione, de Operibus bonis, & horum meritis, ideoque his, utpote à quibus quàm maximè dependet, subnectenda; cum non minùs in illa, quàm in his gravissimè à veritate aberrant Hæretici tam antiqui, quàm nostrates, quorum erroribus refutandis unicè intendemus, ampliorem atque exactiorem tractationè Scholasticis relinquentes, cum quibus hanc ipsam materiam de æterna hominum prædestinatione sat fusè explicatam vulgari in Disputatione Lucernæ Anno 1651. impressa.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Prædestinationis vox dupliciter ab Ecclesiasticis Scriptoribus accipi solet. 1. latè & generatim, pro quavis ordinatione divina, prout extendit se ad omnia, quæ Deus ab æterno statuit; quo sensu Concilium Valentinum sub Lothario III. ait: *constitemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* 2. Strictè & speciatim pro æternâ destinatione ad vitam & salutem, quò sensu communiter Concilia & Patres ac Scholastici loquuntur, quoties hoc prædestinationis nomine absolute utuntur, quod & nos in præsentī faciemus, sit igitur.

II. *Doctrina prima.* Prædestinatio est notitia Dei practica, quâ aliquæ creaturæ rationales efficaciter ordinantur ad vitam æternam per media consequendam. Hæc definitio non differt ab ista S. Augustini L. de bono persever. c. 4. *Est præscientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicquid liberatur.* Item ab ista D.

Thomæ 1. P. q. 23. a. 1. *Est ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Dicitur in nostra definitione 1. *notitia practica*, ut indicetur, ad prædestinationem inprimis actum intellectus concurrere (qui est iudicium quodam practicum libero voluntatis actû approbatum, ideoque scientia approbationis appellatum) tam de beatitudine homini & Angelo conferenda, quàm de medijs ad eam conducentibus. Dicitur 2. *creatura rationales*, ut indicetur objectum seu subjectum Cui, nempe Angelus & Homo; hienim soli ordinari possunt ad vitam æternam. Dicitur 3. *efficaciter ordinantur*, ut indicetur prædestinationem supponere non tantum scientiam simplicis intelligentiæ, quâ DEUS possibilia omnia, quâ talia, cognoscit, sed etiam Mediam seu Conditionaliū, quâ novit DEUS, quid sub quavis hypothesi sit futurum; quia prædestinatio est efficax & infallibilis, adeoque circa media efficacia; hanc autem efficaciam, & speciale per istam DEI auxilium ac beneficium absque scientiâ Media explicari non posse, communiter docent Societatis nostræ Doctores. Dicitur 4. *ad vitam æternam per media consequendam*, ut indicetur terminus prædestinationis. Ex definitione sic explicatâ duo colliguntur. *Primum.* Prædestinationem præter actum intellectus, involvere etiam actum voluntatis, quò Deus efficaciter velit quosdam ad beatitudinè perducere, & iisdem media ad finem obtinendum subministrare: atque utrumque hunc actum tam intellectus quàm voluntatis spectare ad rationem prædestinationis, illum tamen magis principaliter, quàm istum, ut tradit S. Thomas 1. P. q. 23. a. 3. cæterique Theologi. Nam Prædestinatio est maximum beneficium DEI. Sed sola scientia non est beneficium, ut per se patet. Ergo illa sola non est Prædestinatio. Ergo includere debet voluntatis actum; imò hic actus, quia formaliter prædestinatum à reprobo discernit, ac formale beneficium præstat, idcirco sæpe de eo quasi solo aut potissimo actû Prædestinationis loquuntur Authores, cum tamen reverà minùs principalis sit, quàm actus intellectus inquirens & ordinans media ad salutem. *Secundum.* Terminum Prædestinationis nec solam gloriam esse, nec solam gratiam, sed utrumque simul; Nam hichabet locum illud axioma Aristotelis: *ubi unum est propter aliud, ibi est unum.* Arqui prædestinatio ad gratiam est propter gloriam: & prædestinatio ad gloriam est propter gratiam. Ergo completa prædestinatio utrumque terminum complectitur.

III. *Doctrina secunda.* Datur in DEO Beneplaciti voluntas, quâ vult omnes homines salvos fieri. Ita omnes Catholici ex infinitis prope Scripturæ locis. Sufficiat nobis unicus, isque clarissimus 1. ad Timoth. 2. v. 1. ubi Apostolus sic loquitur: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; hoc animi bonum & acceptum est coram DEO, qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Et infra v. 5. *JESUS Christus, qui dedit semetipsum pro omnibus nobis, Accedunt S. S. P. P. quos copiose adducit Fasolus in 1. P. Q. 19. a. 6. à num. 3. unus omnium loco sit S. Chrysol. nobilis S. Pauli Interpres, qui juxta sensum sententiæ nostræ homil. 7. ita Scribit: Imitare Deum tuum; si omnes ille vult salvos fieri, illius & tu concede voluntati; subditque inferius: hoc modo Paulum induxisse nos ad orandum pro Gentilibus & Hæreticis, & pro cunctis hominibus, illorumque.*

rumque salutem desiderare: quia, inquit, per hoc illi evadimus similes, dum, quae ipse vult, etiam volumus. Congruentia est. Tum quia Deus reprobo sufficientia dat auxilia, quibus si velit, pœnam evadat, & salutem consequatur. Ergo signum est, eum habere verum & proprium affectum, & quasi desiderium, ut talis homo non damnetur. Tum quia in DEO est verâ & formaliter voluntas conditionata puniendi, & damnandi omnes homines, si in peccato decesserint, ut fatentur omnes Theologi. Ergo multò magis ponenda est in Deo verâ & formalis voluntas salvandi omnes, cum utique magis propendat in nosrum bonum, quàm in pœnam. Unde etiam discrimen est inter has volitiones. Nam Deus ita vult conditionatè omnes homines salvari, ut, quantum est ex se, optet id re ipsâ fieri; hinc hortatur nos ad media salutis: minimè verò ad media damnationis; quia hanc non procurat, sed nollit. Quemadmodum ergo mercator sic amat merces suas, ut eas libentissimè servare vellet, licet in periculo naufragij male abijcere easdem, quàm perire, ita Deus quòque mallet omnes homines salvos, licet, cogentibus peccatis, aliquos damnet.

IV. *Doctrina tertia.* Prædestinationis totius seu adæquatè sumptæ ex parte prædestinati non datur ulla causa, quæ sit vel meritum, vel ratio, vel occasio vel conditio ullo modo motiva; adeoque prædestinatio sic sumpta omnino gratuita est ex merissimo scilicet beneplacito Dei. Ita quoque omnes Theologi Catholici cum S. Thoma 1. P. q. 23. a. 5. Probatur 1. ex Sac. Scriptura, cujus plures locos passim afferunt Auctores, aiuntque idcirco, doctrinam hanc videri de fide. Sufficiat hic unius S. Pauli locus ad Ephes. 1. ubi loquens Apostolus de æterna hominum prædestinatione & temporali vocatione ad justitiam, hoc totum negotium semper refundit in DEI beneplacitum & propositum divinæ voluntatis, utique in gratiam DEI. Ita ait v. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum, in ipsam secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Et v. 9. *secundum beneplacitum ejus.* Et rursus v. 11. *in quò etiam nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ubi notanda est particula *sorte*; sicut enim fors gratis & sine ullo merito contingit sortienti, ita gratis & sine meritis ullis prædestinati beneficium prædestinationis & primæ vocationis sortiuntur. Probatur 2. ex perpetua Ecclesiæ traditione, multiplici sedis Apostolicæ definitione, & ex pluribus P. P. apud Bellarmin. L. 2. de grat. & lib. arb. c. 10. solum S. Augustinum adducimus, qui epist. 105. ad Sixtum sic scribit: *Querimus meritum misericordiae, nec invenimus; quia nullum est, ne gratia evacuetur; si non gratis detur, sed meritum reddatur.* Et in Enchirid. cap. 90. ait: *miseretur Deus magnâ bonitate, obdurat nullâ iniquitate, ut ne liberatus suis meritis gloriatur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur; sola enim gratia redemptos discernit à perditis.* Probatur 3. Ratione, quæ ex S. Thoma loc. cit. formari sic potest. Prædestinatio est actus divinæ Providentiæ, quo Deus liberè preparat homini certa quædam media, quibus vitam æternam consequatur. Sed hujus liberæ præparationis nulla datur causa ex parte hominis; hæc quippe foret aliquid conducens ad vitam æternam. Ergo jam non effectus, sed causæ prædestinationis.

V. Major inter Catholicos est difficultas, utrum Prædestinationis inadæquatè sumptæ, nempe ad solam gloriam præcesserint aliqua cause ex parte prædestinati, quam varij variè proponunt, & omnes ferè coincidunt in hunc sensum. Num detur in DEO voluntas absoluta & efficax conferendi gloriam prædestinatis ante absolutam prævisionem sive præscientiam gratiæ & meritorum?

VI. *Prima sententia* est S. Thomæ 1. P. q. 23. a. 4. cum sua Schola. Scoti in 1. dist. 41. q. 1. idem cum suis. Card. Bellarmini Tom. 3. L. 2. de grat. & lib. arb. c. 15, & plurium aliorum, qui omnes prædestinationis decretum profusè absolutum ponunt, hoc est, sine ulla alligatione ad certa media, sed vagum & adhuc præcendens à medijs; quasi Deus in primo signo dicat: volo Petrum salvare; adeo ut vi hujus decreti Deus fuerit necessitatus pro signo posteriore ad procuranda Petro media efficacia, ac proinde sit ea, quæ de facto accepit Petrus, fuisset prævisus respiciens. Deus alia & alia eligere debuisset.

VII. *Secunda sententia* est Vasquezij in primam P. disp. 29. Lessij Disp. de Prædest. Beccani in 1. P. c. 14. q. 4. & aliorum non paucorum, qui docent, eandem Prædestinationem respectu omnium post prævisa merita fuisse factam. Admittunt tamen isti Prædestinationem virtuales ad gloriam ante prævisionem absolutam meritorum. Unde communiter duplex statuitur prædestinatio ad gloriam; una formalis, quæ explicatur per hunc DEI actum: volo ut hic homo re ipsâ & infallibiliter consequatur salutem; altera Virtualis, quæ per istum DEI actum exponitur: volo Petro dare talia auxilia propter specialem congruitatem, quam illis inesse video ad id, ut Petrus de facto salvus fiat. Hanc virtuales prædestinationem ante absolutè prævisa merita admittere coguntur omnes, qui fatentur Deum non tantum gratis, sed etiam ex speciali affectu prædestinare aliquos ad gratias congruas cum salute accipientium certo & infallibiliter connexas; liquidem impossibile est, ut Deus velit dare auxilium congruum, quâ tale, & non velit hoc ipso virtualiter salutem. Atqui hoc decretum antecedit Scientiam absolutam meritorum, ut omnes fatentur. Ergo admittenda est aliqua virtualis electio ad gloriam ante absolutè prævisa merita, ut re ipsâ eam communiter admittunt Auctores.

VIII. *Tertia sententia* est quorundam Recentiorum, qui asserunt, Prædestinationem, realiter loquendo, nec ante nec post merita visa factam esse, sed voluntatem divinam dandi merita finalia esse indivisibiliter voluntatem absolutam & efficaciam tum meritorum finalium, tum gloriæ in compensationem eorumdem meritorum dandæ, adeoque ut Coronæ. Concedunt igitur voluntatem dandi gloriam; sed negant, illam esse in aliquo priori ante voluntatem dandi merita, sicuti vult Suarez: negant etiam eandem esse subsequentem, sicuti placet Vasquezio. In hac doctrina duo supponuntur. *Primum.* Prædestinationem (loquendo de ordinaria) fieri cum alligatione ad certa media, quæ si non fuissent prævisa fore congrua, ea nihilominus Deus dedisset, & consequenter ille, qui de facto prædestinatus est, si non fuisset per scientiam Mediam prævisus ultimus bene hinc medijs, fuisset reprobis: & è contra qui de facto reprobis est, si fuisset prævisus bene

bene usus his medijs, ea nihilominus accepisset, & per illa prædestinatus fuisset. *Alterum.* Deum non intendere aliquem finem præscindendo à medijs, sed unico actu simul decernere finem per hæc media; quod sic ostendunt R.R. illi. Quando in agente libero adest omnis scientia, quæ potest in consultatione adhiberi circa electionem mediorum: nec adest ullum periculum errandi aut incurtendi aliud incommodum, tunc nemo prudens decernit finem determinatè, media verò indeterminate, ita ut suspendat determinationem mediorum, & primum postea determinet media. Atqui in Deo ante primum decretum jam adest omnis scientia, quæ potest servire ad determinationem mediorum, nec est periculum ullius erroris, aut incommodi incurtendi ex aliquâ præcipitantiâ aut inconsideratione. Ergo in Deo non datur hujusmodi intentio finis, ut præscindat à determinatione mediorum, & horum determinatio in posteriore signo ponatur, ut potè proflus frustranea. Interim, inquirunt, nostro concipiendi modo bene possunt signa multiplicari pro actuum humanorum multiplicatione. Et quia in homine voluntas efficacè rei præcedit cognitionem existentia rei (volitio enim est causa rei existentis: & res existens est causa cognitionis) hinc fit, quod in Deo etiam concipiamus cum aliquâ prioritate decretum prædefiniens, & prædestinans ante cognitionem existentia meritorum: & merita concipiamus prius exitura, quàm à Deo cognoscantur. Et propter hunc concipiendi modum vocatur prædestinatio ante prævisa merita &c. Videatur Elparza Tom. 1. Q. 30. & 31.

IX. *Doctrina quarta.* DEUS suppositâ scientiâ Media prædefinire potest actus liberos ratione prius, quàm absolute futuros: & defacto etiâ datur talis prædefinitio actuum supernaturalium &c. Ita communiter Theologi. Probatum i. Pars. In primis ex Scriptura, in quâ hæc efficacità divinæ voluntati adscribitur, ut possit inclinare vel movere humanam voluntatem, quò voluerit juxta illud Job. c. 12. v. 24. *qui immutat eor Principium.* Prov. 21. v. 1. *cor Regis in manu Dei est, & quocunque voluerit, inclinabit.* Deinde ex SS. Patribus, quòs copiose adducit Aldrete Tom. 2. Tract. 4. D. 3. Sect. 1. & 2. Sufficit S. Augustinus de Genes. ad lit. & de corrept & grat. c. 14. ubi: *Deus, inquit, de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit.* Facit ergo infalibiliter opus nostrum liberum, quia vult ipsum. Idem relatus à S. Thomâ hic r. P. q. 19. a. 8. ait: *Nullus fit salvus, nisi quem Deus voluerit salvari, & ideo rogandus est, ut velit; quia si velit, necesse est fieri.* Demum ratione Tum quia actus supernaturalis sufficientem habet honestatem & proportionem, ut Deus absolute illum velit, & amet, vel eligat tanquam medium aptum ad supernaturalem hominis finem. Ergo ex hac parte non repugnat illius prædefinitio. Tum quia quando quis habet in potestate suâ efficaciam media ad aliquè finem, potest illum efficaciter intendere, atque absolute prædefinire. Atqui suppositâ scientiâ Conditionali Deus habet in suâ potestate media & auxilia efficaciam ad hoc, ut fiat noster actus liber. Ergo Deus potest hunc efficaciter & absolute prædefinire. Probatum 2. pars doctrinæ nostræ. Quia melior est providendi modus, si Deus bonâ opera prædefiniat, quàm si primum determinationem homini relinquat. Ergo de facto prædefinit illa, cum voluntas divina liberè saltem semper exsequatur id,

quod est melius ad finem intentum. Probatum Antecedens 1. quia sic Providentiâ perfectius elucet, hoc est, accuratior est, dum non solum finem præstituit, salutem scilicet æternam, sed etiam omnia media præscribit, bona nimirum opera; 2. quia sic distinctior est; dum enim statuit, neminem ex adultis nisi per bona opera salvari, hoc ipso quod aliquem prædestinet, debet saltem in confuso velle ei procurare quædam bona opera, quæ utique melius est distinctè & in speciem ei definire. 3. potentior est; dum Deus sic omnium bonorum primam determinationem sibi reservando supremum suum dominium magis declarat: 4. admirabilior est, maximè enim sapientiæ est prædefinire, quod fieri debet, & nihilominus libertatem tueri, dum prædestinati actus salutiferos singillatim prædefinit. Addimus quod valde ad hominis humilitatem faciat, scire omnia bona, quæ agit, primordium habere non à suâ voluntate, sed à gratuita DEI liberalitate, Pro solutione obiectionum, quas fuisse aliqui nequicquam proponunt, tria hæc adverto. 1. si ex Patribus aliqui negare videntur prædefinitiones, loqui eos de prædefinitionibus ante Scientiam mediam. 2. necessitatem ex prædefinitionibus inferri solum consequentem post prævisum nostrum consensum. 3. DEUM producere aliquid in rerum natura posse absque efficaci & absoluta voluntate, adeoque prædefinitionem non esse necessariam, sed sufficere voluntatem DEI indifferentem & conditionatam, sicuti ad materiales actiones peccatorum sufficit conditionem purificari per determinationem creatæ libertatis &c.

X. *Doctrina quinta.* DEUS ex speciali Benevolentia prædestinat homines simul ad gratiam finalem; & ad gloriam, ut coronam, ante præscientiam absolutam meritorum in se ipsis. Prima pars de speciali Benevolentia, quâ DEUS voluit prædestinatis congruitatem auxiliorum, est planè communis. Atque hæc voluntate discernit prædestinatos à reprobis discretione illâ sublimi, secretâ, ac mirabili. Probatum 2. ex S. Scriptura. In epist. ad Rom. 9. D. Paulus rotus est in commendanda & misericordiâ & dilectione speciali erga salvandos, quam potissimum declarat in exemplo Jacob & Esau, adeo ut sint à Theologis, qui putent de fide esse, hos duos Fratres typum gessisse Prædestinatorum & Reproborum; sic ergo num. 18. loquitur Apostolus: *Cum enim nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali gessissent (ut secundum electionem propositum DEI maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Idem Apost. ad Ephes. 1. v. 4. *elegit, inquit, nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ, gratiæ suæ; quem locum D. Hierony. interpretatur his verbis: Non enim, ait Paulus, elegit nos ante constitutionem mundi, cum essemus sancti & immaculati, sed elegit nos, ut essemus sancti & immaculati, hoc est, qui sancti & immaculati non sumus, ut postea essemus.* Joan. 6. v. 44. *Uscit Christus, nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit enim.* Tractio hæc est vocatio efficacè, quod verò: ex speciali affectu tribuatur, exposuit S. Augustinus aiens: *trahitur ergo miris modis, ut velibus,*

illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari; non ut boni in eis volentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Probatum 2. ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 16. ubi dicitur si quis magnum illud usque in finem perseverantia donum &c. ubi bonum perseverantiae vocat magnum donum. Atqui magnum bonum in ratione boni debet procedere ex affectu illius boni, quia bonum alteri est, cui illud volumus. Ergo supponit Tridentinum, quod bonum perseverantiae detur ex benevolenti affectu, quia bonum est illi, cui datur. Minor propositio est omnium mentibus insita, & pulchre eam exprimit Seneca c. 6. de beneficiis. Itaque, inquit, non quid fiat, aut quid detur, sed quia mente; quia beneficium non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Probatum 3. Autoritate Patrum ac praesertim S. Augustini; qui L. de Praedest. Sanct. c. 8. loquens de gratia efficaci, quam habent omnes, qui veniunt ad Christum, sic scribit: *Hac gratia, qua occulte cordibus tribuitur, a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Et cap. 6. sic dixerat: *multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt; volunt ergo isti, nolunt autem illi, quis hoc ignorat? Sed cum alijs praepraretur voluntas, alijs non praepraretur, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de iudicio?* Lib. de corrept. & grat. c. 7. ait: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divina gratia largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuraretur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt, credant, & in fide, qua per dilectionem operatur in eis, qui vasa misericordiae operatus est eos, qui & elegit illos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratia; si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Plura testimonia Sac. Script. Concil. ac Patrum, quibus specialis benevolentiae Dei ante omnia merita erga Praedestinos asseritur, videri passim poterunt apud Theologos.

XI. Secunda etiam pars, quae est ex mente illorum Recentiorum, quod scilicet Deus praedestinet homines simul ad gratiam finalem, & ad gloriam ante praescientiam absolutam meritorum in se ipsis. Probatum 1. Quicumque adhibet media efficaciam ad finem, quem serio intendit, vult etiam efficaciter ipsum finem. Atqui Deus ante praevisionem absolutam meritorum finalium concipit voluntatem, quae adhibet media efficaciam ad gloriae consecutionem. Ergo etiam vult simul ipsam gloriae consecutionem, & quidem efficaciter, non solum ineffaciter. Minor constat ex dictis. Major videtur certa, quia media efficaciam, & ut talia cognita non adhibentur sine voluntate finis, sed vel praecedente voluntate finis, vel saltem per simultaneam voluntatem finis inclusam in voluntate mediorum. Probatum 2. Ante praevisionem absolutam meritorum in se ipsis DEUS habet voluntatem absolutam, quae praeparat praedestinati beneficia certissima gratiae, quibus infallibiliter liberantur a perditione, & haereditate DEI donantur. Atqui haec voluntas sive praeparatio est praedestinatio. Ergo in Deo est praedestinatio ante merita praevisa absolute in se ipsis. Minor constat ex definitione S. Augustini supra §. II. allata. Major vero ex recens dictis: voluntas enim dandi merita finalia est ante praevisionem ipsorum meritorum finalium, siquidem ista voluntas est causa, ut fiant merita; voluntas autem dandi illa merita est voluntas certissimorum auxiliorum, quibus Deus hominem ijs praeventum,

novit liberandum a malo & perseveraturum usque ad finem in bono. Ergo secundum ista principia, quae sunt ipsissima principia D. Augustini, ante ipsa merita finalia DEUS habet voluntatem praeparantem praedestinati certissima beneficia gratiae, quibus infallibiliter liberabuntur a perditione, & gloriam consequentur. Probatum 3. Praedestinatio ad gratiam efficacem, per quam formaliter perseveratur, est ante praevisa merita. Ergo etiam praedestinatio ad gloriam est ante praevisa merita. Antecedens ab omnibus admittitur. Probatum Consequentia. Quando Deus vult gratiam efficacem, quae perseveratur finaliter, vult ipsam perseverantiam finalem. Ergo etiam, quando Deus vult perseverantiam finalem vult simul gloriam; perinde enim connectitur perseverantia finalis cum gloria, & est medium ad istam efficaciam, ac gratia efficax ad perseverandum finaliter connectitur cum perseverantia finali. Ergo Deus volendo gratiam efficacem ad perseverandum finaliter, aequae ac simul vult tam ipsam perseverantiam finalem, quam gloriam. Ergo utramque ante absolutam praevisionem meritorum.

XII. Obijcitur 1. Autoritas Sac. Script. & Patrum saepius asserentium, gloriam non dari gratis, sed ex meritis. Ergo non ante absoluta praevisa merita. Respond. Neque nos dicere gloriam dari gratis. Sed quando praedestinatio dicitur gratuita, tunc gratis cadit supra voluntatem DEI volentis nobis procurare & merita & gloriam. Ad hanc enim voluntatem nulla nostra merita praecedentia illum inducunt. Itaque huiusmodi testimonia Scripturae & Patrum intelligenda sunt de ipsa actuali executione, & secundum nostrum concipiendum modum, quo decretum executionis concipimus, ut procedens ex visione meritorum v. g. Math. 15. 34. *Venite Benedicite Patris mei, possidete paratum vobis Regnum ad constitutionem mundi.* Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c. Urgetur. Si voluntas illa dandi merita juxta nostram doctrinam antecedit absolutam praevisionem meritorum, sequitur plane eam esse independentem a meritis, & dandam adulto gloriam, etiam si nulla existerent merita. Consequens conformiter Scripturae & Patribus dici non potest. Ergo Respond. negando, dandam gloriam a DEO adultis, etiam si nulla in illis existerent merita; quia ex eo, quod voluntas illa dandi gloriam antecedit merita & gloriam, adeoque ab utroque independentem sit, non inferitur, dari gloriam sine meritis. Nam quamvis voluntas illa non dependeat a priori neque a meritis neque a gloria, connectitur tamen a posteriori cum meritis & cum gloria. Nam gratia efficax finalis, quam Deus vult praedestinato, infert infallibiliter merita & gloriam, & in illa voluntate sua dandi talem gratiam efficacem, jam prius videt merita & gloriam, quam ista videat in se ipsis, ideoque ex vi illius voluntatis non dabitur gloria adulto sine meritis finalibus, nec merita finalia sine gloria. Unde praedestinatio nunquam est penitus liberalis; quippe non est voluntas illa liberalis, quae licet antecedit pretium, non tamen est voluntas dandi, nisi per pretium, merita scilicet, postquam exierunt in statum existentiae.

XIII. Obijcitur 2. nominatim S. Augustinus qui L. 1. ad Simplician. q. 2. agens de electione ad gloriam ait, propositum dandi gratiam, & iustificandi esse quidem ante merita nostra: propositum ta-

tum tamen dandi gloriam sequi: non tamen electio, inquit, præcedit justificationem, sed electionem justificationis; nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur; unde quod dictum est: qui elegit nos ante mundi constitutionem, non video, quomodo dictum sit, nisi præscientiâ, hoc est, absolutâ meritorum prævisione, ut ex ipso contextu colligi facile potest. Respond. 1. Cardin. Bellarm. L. de grat. & lib. arb. c. 15. cit. & plures alios Theologos velle, S. Augustinum Juvenem, licet jam Episcopum Scripsisse Libros ad Simplicianum, sed postea senem aliter locum illum S. Pauli ad Rom. c. 9. v. 11. explicasse. Nam Epist. 105. ad Sixtum explanans verba illa, ut secundum electionem propositum DEI maneret, vocat electionem, quâ eligendos facit ipse, non invenit, ex vocante, non ex operibus, adeoque gratiâ, non debiti. Hæc responsio inde valde probabilis redditur; quod verba illa (nemo eligitur, nisi jam distans) si, ut sonant, accipiantur, hæretica sint; constat enim inter æquales electionem fieri juxta illud D. Pauli 1. ad Corinth. 4. v. 7. quis enim te discernit? quare prædictos libros S. Patet quoad omnia postea approbare non potuit. Nihilominus si cui hoc non placet. Respon. 2. breviter & conformiter ijs, quæ paulo ante in respon. ad 1. object. diximus, D. Augustinum loqui de executione solum, prout voluntas illa DEI executioni dari a nobis concipitur. Card. Lugo, Esparza, Petavius, & alij Sanctum Doctorem alter explicant, qui videri possunt.

XIV. Obijcitur 3. Prædestinatio ad gloriam ante merita absolutè prævisa in se ipsis videtur favere Calvinistis, parere Scandalum, & præter alia absurda causare desperationem; unde vulgata illa tentatio & scandalosa ratiocinatio: aut sum prædestinatus, aut non sum; Si sum, nihil mihi oberit, quidquid peccem: si non sum, nihil mihi proderit, quidquid boni agam. Liberè igitur vivam, qui perire non possum, aut salvari. Respon. Sententiam nostram remotissimam esse ab his absurdis, & nominatim nihil profus patrocinari Calvinistis, ut in altera parte hujus Controv. patebit; neque scandalum præbere aut desperationem aliudque absurdum invehere. Dilemma illud dicimus. In primis esse impium; quia omni divinæ de nobis ordinationi repugnat; quæcunque enim ista sit, semper oclamari illud potest. Deinde esse stultum; quia sic ratiocinans projectæ vitæ homo in qualibet aperta pericula mortis se committet. Denique esse falsissimum: quippe falsa est utraq; propositio; prior quidem: si sum prædestinatus salvabor, quidquid egero; quia implicat, perinde ac si dicas: si homo sum, nihil refert sive habeam rationalitatem, sive non sicut enim repugnat istud, ita quocumque repugnat, te esse prædestinatum, & non bene vivere saltem finaliter vi generalis decreti non salvandi, nisi bene morientes: posterior verò: si non sum prædestinatus, damnabor quidquid egero; quod itidem implicat, vi generalis decreti, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Prædestinatio de DEUS, ô homo, ut per media pervenias; hac si negligis, te prædestinatum non fuisse, magno tuo malo probas, ut pulcherrimè & sapientissimè discurret S. August. de peccerant. c. 15. & 16.

XV. Doctrina sexta. Prædestinatio ordinaria facta est cum alligatione ad certâ & determinatâ media, quæ Deus per communem providentiam solet offerre, cum quibus si homo non visus fuisset

cooperaturus, non propterea accepisset alia media, sed accepisset hæc eadem, atque ex decreto permissivo lapsus & reprobatus fuisset. Ita Recentiores, quorum supra mentionem fecimus, & omnes, qui cum Vasq. tenent, Prædestinationem fieri post absolutam meritorum prævisionem. Probat 1. ex Scriptura aperte & sæpe affirmante, illos, qui de facto prædestinati sunt, non habituros fuisse alia media ad salutem obtinendam, si hisce oblati non consensissent; item illos, qui modò reprobari sunt, salvandos fuisse, si hisce oblati medijs respondissent; id quod est ipsissima mediolorum alligatio, atque ex uno alteroque loco sic breviter ostendo. In epist. ad Rom. 8. cum Paulus de Prædestinatis disputans dixisset, eos esse Filios DEI, hæredes regni, cohæredes Christi, ne hoc Romani laxius acciperent, mox addidit v. 17. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Scilicet ut indicaret, electionem nostram non esse extensam ad media, quæcunque tandem efficacia forent, prævisa, sed restrictam ad ista, quibus neglectis etiam salus æterna, reprobatione in vicem Prædestinationis subeunte, erit neglecta. Hoc ipsum apertius indicat eadem Epistola c. 11. loquens de Gentilibus, qui in locum Judæorum propter eorum incredulitatem sunt electi. Vide, inquit v. 22. bonitatem & severitatem Dei, in eos quidem, qui ceciderant, severitatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris: & illi rursus, si non manseris in incredulitate, inserentur. Quibus verbis aperte supponit S. Paulus, quod in nostra potestate sit, ut fuerimus vel non fuerimus inserti, vel excisi, de quo plura infra. Ergo supponit prædestinationem esse alligatam determinatis ac certis meritis. Clarissimè in hunc eundem sensum loquitur D. Petrus in Epist. 2. c. 1. v. 10. Satagite, Fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, quod si cum gratijs de facto acceptis cooperabimini, facietis, ut fueritis electi. In opposita sententia Suarezij & aliorum Christiani per Græciam dispersi, quibus Româ S. Petrus scribit, excipere & dicere potuissent, cur satagamus & solliciti sumus? Deus vi sui decreti primi & absoluti tenetur nobis seligere gratias efficaces; quod si præsentis tales non sint, alias dabit. Cura proinde certificandi nostram electionem non ad nos, sed ad Deum spectat, D. Petrus autem electionem vocavit incertam, non quod jam non sit prævisa & decreta; sed quoad nos, quatenus non cooperando facere possumus ut non præcessisset talis electio.

XVI. Probat 2. ex Patribus, maximè S. Augustino cujus esse dicitur notum illud effatum: Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris, id ipsum significat Tract. 26. in Joan. Si non traheris, ora ut traharis; per tractionem autem intelligit prædestinationem. Rursus Serm. 1. de S. Stephano pronunciat: Quod si Stephanus pro lapidantibus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Ergo salus & gloria S. Pauli fuit alligata orationi S. Stephani. S. Prosper in responf. 3. ad capitula Gallorum, qui vehementer urgebant illam objectionem contra gratuitam prædestinationem S. Augustini sic ait: Non ex eo necessitatem pereundi habuerunt; quia prædestinati non sunt; quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præcisi sunt? Et Responfione 7. quia illos ruituros propriâ ipsorum voluntate præcisis, ob hoc à filijs perditionis nulla prædestinatio segregavit. S. Damasc. Dialog. contra Manichæos in fine: quocirca, ait,

bona agere & boni effici commendamus, ut in eorum numero sumus, quos Deus fore bonos prenoxit, atque ad vitam preordinavit. Probatur 3. ex communi fidelium sensu. Quoties enim dicimus, & nemo nos imprudenter loqui iudicat: Si hic vel ille non fuisset factus Religiosus, periisset: si hic vel ille operarius non fuisset in Indijs, multi infantes inibi ab eo baptizati non salvati, sed sine baptismo mortui fuissent: nisi hic vel ille hunc concionatorem audisset, non fuisset conversus: nisi factus fuisset æger, non respuisset: nisi hic factus esset reus capitalis supplitij, & sic ad mortem dispositus, in suis flagitijs periisset. In his omnibus supponitur salus determinatis medijs alligata. Probatur denique ex absurdo, quod ex opposita sententia deducitur, videlicet Deum perinde reprobare positivè à beatitudine æternâ, atque ad eam prædestinare. Quia Deus juxta Adversarios vi primi sui decreti salvandis deberet media efficacia studiose eligere, & reprobandis inefficacia. Nam si per scientiam Mediam vidisset Deus, auxilium, quod de facto Judæ dedit, fore efficax, vel istud nihilominus dedisset, vel non? si nihilominus dedisset. Ergo Judas futurus fuisset prædestinatus. Si non dedisset, sed aliud inefficax substituisset. Ergo de industria Deus Judæ medium inefficax, quâ tale, quævisisset; cur enim aliâs efficax substituisset? quid autem hoc est aliud, quàm positivè reprobare.

XVII. Dixi in doctrina prædestinationis ordinaria, ut indicarem, nolle me comprehendere quosdam eximios Sanctos v. g. Beatissimam Virginem, Joannem Baptistam &c. quos Deus ducere voluit per extraordinaria media ad summam sanctitatem, quibus conceduntur Authores, quos sequimur, Deum tanto affectu contulisse media; ut si cum his prævisi fuissent non cooperaturi, Deus alia & alia media adhibuisset.

XVIII. Obijcitur 1. quicumque vult efficaciter media propter finem, vult prius & principaliter ipsum finem, ex vulgari illo effato, *propter quod unumquodque tale, illud magis tale.* Sed Deus vult auxilia efficacia propter gloriam. Ergo vult prius ac principaliter magis gloriam. Ergo vult gloriam per decretum præscindens à meritis. Respond. distinguendo Majorem; Loquendo de eo, qui habet omnimodam omnium mediolorum notitiam, nullumque periculum errandi; item de medijs habentibus simul rationem finis, seu complementi finis, negatur Major; loquendo de eo, qui non habet evidentem omnium notitiam, sed periculo errandi est expositus: item de medijs, quæ sunt pura media, transeat Major, & negatur Consequentia. Responsio intelligitur exijs, quæ supra diximus §. VIII. circa finem. Interim non negaverim, tendentiam Dei in gloriam juxta nostrum concipiendi modum à tendentia in merita præscindi, & illam in priori signo concipi posse; verum ex hoc non sequitur tendentiam in merita re ipsâ esse in posteriori signo; aliud enim est, quod ego præscindam unam tendentiam ab alia: & aliud quod ipsa tendentia Dei præscindat unum ab alio; sic possum ego intendere iter Lauretanum pedestre, quâ tale; quia specialiter placet iter pedestre, quâ casu non intendo iter Lauretanum præscindendo ab equestri, vel pedestri, quantumvis alius ab utroque sic præscindere posset.

XIX. Obijcitur 2. Si prædestinatio est alligata certis medijs ad communem Providentiam spectantibus, ita ut in potestate reprobatorum sit facere, ut fuerint etiam ipsi prædestinati: & è contra, non apparet amplius ulla specialis benevolentia exercita erga prædestinatos, quam tamen supra docuimus. §. X. Probatur sequela. Si Deus eadem gratias, quas de facto dat adhuc daturus fuisset, etiam si visæ fuissent non efficaces; argumentum est, illas datas non fuisse, quia sunt efficaces. Sed ab hoc Deum abstraxisse. Respond. Benevolentiam specialem cum providentia generali conjunctam consistere in hoc, quod DEUS suppositâ etiam scientiâ Media de horum & non illorum consensu sub conditione futuro adhuc liberimè ex mero beneplacito dederit, & elegerit hunc ordinem & seriem gratiarum, quâ vidit profuturam nobis; & quidem ideo quia vidit profuturam nobis; cum tamen eadem libertate potuisset alium ordinem eligere, qui profuisset alijs & non nobis. Cur autem potius dederit hunc ordinem gratiarum, quàm alium, hoc enim vero est arcanum & inscrutabile judicium DEI, qui potuisset dare eadem ordinem gratiarum, quo vidisset omnes salvandos. Urgent. DEUS hunc ordinem daturus fuisset, etiam si isti salvati per ipsum non fuissent. Esto hoc. Nam quamvis inde habeatur, adæquatam finem à Deo intentum non fuisse salutem horum præ salute illorum; cum hoc tamen fiat; Deum intendisse verè & tanquam finem salutem horum. Porro quod benevolentia hæc sit specialis, ex hoc liquet, quod non sit generalis, sicut foret illa, quâ Deus ordinem gratiarum omnibus profuturum elegerisset. At, inquit, D. Augustinus multò specialior in DEO benevolentiam erga prædestinatos agnovit. Mentem S. Doctoris satis patere ex ijs, quæ recentibus ab ipso adduximus. Item ex D. Prospero solertissimo ejus discipulo; qui utique sensum Præceptoris sui optimè fuit affectus. Si igitur specialissimum Dei affectum erga prædestinatos agnosceret, ut putant Suárez & alij, potuit de nonnullis prædestinatis intelligi, ut supra nos concessimus, aut quod universum DEUS ita facere potuisset; certe tota nostra doctrina ex ipsissimis D. Augustini principijs procedit, quomodo ergo à mente illius aliena esse potest?

XX. Obijcitur 3. ex nostra Doctrina sequi, quod detur ex parte hominis totius prædestinationis causa, cum in potestate hominis sit facere, ut fuerit prædestinatus; scilicet per consensum conditionatè futurum; hoc autem est contra id, quod supra ex communi Theologorum de causa videlicet Prædestinationis §. IV. docuimus. Respond. negando sequelam. Nam nihil DEUS ex parte hominis videt, quod habeat rationem causæ motivæ per modum meriti, ut homo ad gratiam & gloriam prædestinetur. Cum hoc tamen bene fiat, in nostra esse potestate, facere ut factâ hypothesi, quod Deus daturus sit hunc ordinem auxiliorum, simus per illum prædestinati. Unde hæc duo in prædestinatione inclusa sedulo distinguenda, scilicet *voluntas dandi hæc auxilia: & voluntas per hæc auxilia salvandi;* quippe primum posset esse volitum absque secundo, si nimirum istis auxilijs non cooperaremur. In nostra potestate non est facere, ut Deus decernat dare hæc auxilia, ut sæpe jam diximus; quocumque enim nostro

noſtro conſenſu ſub conditione præviſi ut futuro, Deus adhuc ſummâ liberate potuiſſet nolle dare hæc auxilia ſed alia, quæ prævidit non fore efficaciâ. Quare abſolutè & illimitatè non eſt in noſtra poteſtate facere, ut fuerinus prædeſtinati. Attamen cum in noſtra poteſtate ſit facere, ut Deus hæc auxilia viderit fore efficaciâ, conſequentè in noſtra poteſtate eſt facere, ut DEUS per hæc auxilia prædeſtinare nos poſſit; ac denique ſuppoſito, quod velit dare hæc auxilia cum omni vi & congruitate ſua in bonum noſtrum, in noſtra eſt poteſtate facere, ut ea dando nos prædeſtinet. Atque in hoc poſteriore ſenſu & non in priori prædeſtinatione in noſtra eſt poteſtate dicitur, ut infra magis conſtabit.

XXI. *Doctrina ſeptima.* Effectus prædeſtinationis eſt id, quod ad conſecutionem gloriæ inſallibiliter conducens ex vi prædeſtinationis efficaciè productur. Ita communiter Catholici Doctores. Talis effectus eſt 1. omniſgratia & vocatio in prædeſtinato. Item quilibet actus ſupernaturales, ſive ſint poſt illam, ſive ante: ſive ſint diſpoſitiones proximæ, ſive remotæ ad gratiam: ſive augmentum illius, dumodo de facto ferant fructum ſalutis æternæ. Sumitur ex illo D. Pauli ad Rom. 8. v. 30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit hos & glorificavit.* 2. Gratia habitualis & virtutes inſusæ, quæ ſine interruptione ei conjunguntur. 3. gloria cæleſtis, ut colligunt DD. hunc & priorem effectum ex cit. verbis Pauli, & quia univerſim effectus prædeſtinationis dicitur totum id, quod conducit vel formaliter vel efficienter ad ſalutem. 4. Naturalia dona, nempe productio hominis, ingenium, indoles, educatio & alia omnia, quæ prævidentur à DEO futura illi utilia ad ſalutem. Idem putandum de circumſtantijs & caſibus naturaliter occurrentibus, quibus prædeſtinatione juvetur v. g. quod Petrus caſu intret templum ad audiendam concionem, quâ movetur ad emendationem vitæ: quod interſit repentinae morti: quod gravi adverſitate prematur &c. 5. denique mala pænæ ſive plagæ, ut cœcitas, ſurditas, morbi &c. hæc poſſe & verò ſæpe eſſe effectus prædeſtinationis, communiter concedunt Scholaſtici Theologi, apud quos hæc de re plura videri poſſunt.

XXII. Reprobationis vocem paſſim in Sac. Scriptura uſurpatam ad ſignificandum hominem peccatorem Theologi tranſtulerunt ad ſignificandum eum, qui damnatur pænâ æternâ, ſive illa ſit ſolius damni, ut in decedentibus cum ſolo originali, ſive ea ſit etiam ſenſus, ut in decedentibus cum actuali mortali.

Doctrina octava. Datur Reprobatio, quia ſunt aliqui prædicto modo reprobi. Et hæc duplex eſt; una Poſitiva: Negativa altera. Prima pars eſt certior, quàm quæ multis probetur; illos autem reprobos damnari à Deo in pœnam ſuorum peccatorum, eſt quoque certiffimum; unde Paulus ad Rom. 9. v. 23. ſcribit: *DEUM eos ut vaſa iræ ſuſtinuiſſe, ut oſtenderet divitias gloriæ ſue in vaſa miſericordiæ.* Alteram partem receptiſſimâ diſiſionis nonnulli Recentiores nolunt admittere, meliùs eſſe rati, unam, quam duplicem aſſignare reprobationem. Sed quæſtio eſt de voce, an volitio, nec efficaciè eligendi ad gloriâ, nec dandi gratiam congruam, dicatur reprobatio negativa?

Itaque Reprobatio prior ſeu poſitiva & ſimpliciter talis conſiſtit principaliter in iudicio quodam practico, quò Deus poſt abſolutam præviſionem peccatorum in reprobo uſque ad finem vitæ futurorum ſtatuit: illum eſſe dignum pænâ: & connotat actum quendam voluntatis puniendi hominem talem. Unde deſignari poteſt: Actus divinæ providentiæ, quò Deus poſt abſolutam præviſionem peccatorum alicujus iudicat, illum dignum eſſe pænâ, & decernit, illum punire pænâ æternâ, eaque vel damni ſolius, vel etiam ſenſus pro ratione peccati, in quo quis decedit, ut hinc alio nomine non malè Punitiva dici ſoleat. Reprobatio poſterior ſeu Negativa, Permiſſiva, & ſecundum quid talis conſiſtit etiam principaliter in quodam iudicio practico, quò DEUS ſtatuit ante abſolutam præviſionem peccatorum aliquos communi relinquere Providentiæ abſque peculiari benevolentia circa media procuranda, quæ noſſet congrua: & connotat voluntatis actum non providendi talia media congrua ad merita finalia & gloriâ conſequendam. Unde deſignari poteſt: Actus divinæ Providentiæ, quo DEUS ſtatuit, quibusdam non exhibere ſpecialem benevolentiam, ac congrua media providere ad merita & gloriâ conſequendam. Vocatur autem à Doctorebus Negativa, non quod ſit negatio actus divini aut ſalutis abſolutè non conferendæ ſed quia, licet ſit actus poſitivus, tendit tamen in objectum negativum, ſcilicet in negationem benevolentia ſingularis erga alios exhibitæ, hoc eſt, vocationis congruæ; interdum enim denominantur actus à ſuis objectis. Et quamvis iſtæ voces non reperiuntur expreſſæ in antiquis Authoribus, reperitur tamen res ſignificata per illas, & voces ipſas uſurpant jam graves & plures Theologi.

XXIII. *Doctrina nona.* Ante præviſum abſolutè peccatum, non habuit DEUS decretum abſolutum, & efficaciè excludendi quemquam à gloria cæleſti. Hanc doctrinam apertè videtur tradere Sac. Scriptura ajens Sapient. 1. v. 13. *DEUS mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.* Ezechiel 8. v. 23. *Num voluntatis mee eſt mors impij?* & cap. 33. v. 11. *Nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat.* Quomodo autem hoc dicere Deus verè poteſt, ſi tam efficaciè velit mortem peccatoris, quàm vitam. Stabiliunt id S. Concilia & Patres paſſim, è quibus non prætermittendus hîc S. Auguſt. L. 33. contra Julian. c. 18. ſic pronuncians: *Bonus eſt DEUS; Juſtus eſt DEUS, poſt aliquos ſine bonis operibus liberare, quia bonus eſt: non poteſt quemdam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Ratio denique ſuffragatur. Tum quia contraria opinio repugnat Bonitati divinæ ex ſe tam inclinatæ ad benefaciendum: ad malefaciendum autem non niſi poſtulantibus peccatis. Tum quia ſi DEUS antecedenter præconcepit eam volitionem efficaciè damnandi, quomodo intelligi poteſt ſerius ejuſdem animus, omnes ſalvandi? Equidem non repugnat volitio DEI efficaciè alicujus rei cum inefficaciâ de ejuſdem carentiâ, quia ſcilicet una harum admixtum habere ſolet involuntarium. At Deum ex ſe omnes velle ſalvare: & à ſe efficaciè etiam velle damnare aliquos, hæc certè non videntur componi poſſe. Cum ergo priorem volitionem Sac. Scriptura apertè Deo attribuat, 1. Timoth. 2. v. 1. poſterio-

feriorem hos ab eodem arcere, & dicere debemus, nullum omnino ante prævisum absolute peccatum à Deo cælis excludi, pænisque æternis deputari.

XXIV. *Doctrina decima.* Reprobationis Negativæ non datur causa ex parte reprobi. Ita S. Thomas 1. P. q. 23. a. 5. ad 3. Bellarminus, Suarez, Vasquez, cæteri omnes Catholici Theologi, qui admittunt reprobationis divisionem in Negativam & Positivam conformiter Sac. Scripturæ: hoc enim inrendit D. Paulus Rom. 9. v. 13. dum ait: *Esau autem odio habui*, hoc est, minus dilexi quàm Jacob. Item dum ibidem v. 20. comparat Deum figulo, qui absque ulla præcedente causa vas aliquod facit in contumeliam, cum aliud ex eadem massa faciat in honorem. Consentiant SS. Patres & maxime S. August. de Prædestinat. SS. c. 9. ubi, inquit: *cur autem istum potius, quàm illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia ejus.* Et alibi frequenter, cum quærit causam discretionis factæ à Deo inter prædestinatos & reprobos, recurrit ad divina iudicia, ad voluntatem Dei &c. ac meritò. Nam vel ponimus prædestinationem & reprobationem factam fuisse post, vel ante prævisum Adami peccatum? si post, tum omnes erunt æquales, quia continebantur omnes in eadem massa perditionis, ut Apostolus & S. Augustinus loquuntur: si ante, tum iterum erunt omnes æquales in massa naturæ, ac proinde nec in hoc nec in illo casu reperit Deus aliquam causam ex parte hominum, cur potius his velit gratiam & gloriam, quàm alijs, quos vult permittere labi, & in suo lapsu relinquere; ac proinde punire æternum propter hunc lapsum.

XXV. *Doctrina undecima.* Effectus Reprobationis Positivæ est exclusio à gloria generaliter in omnibus: & in adultis deputatio ad ignem æternum. Negativæ verò Reprobationis effectus dici possunt prima permissio peccati nunquam remittendi, & cæteræ hujusmodi subsequentes: Item dilatio mortis usque dum reprobus cadat ex gratia, si illam habeat: vel anticipatio ejusdem, antequam veniat ad occasionem, in qua, si viveret, converteretur. Ita quoad utramque partem Suarez L. 5. de Prædestinat. c. 7. & communiter Doctores. Ratio primæ partis est, quia pæna hæc est à Deo, causatur per reprobationem, & infalibiler jungitur cum termino reprobationis, imò est ipse reprobationis terminus. Ergo est effectus Reprobationis Positivæ; siquidem habet omnes conditiones requiri solitas. Ratio secundæ partis est. Tum quia hæc omnia suo modo consequuntur ex negatione mediorum congruorum ad merita finalia & gloriam, in qua negatione essentialiter consistit reprobatio Negativa. Tum quia modus iste causalitatis non est positivus, sed negativus, eo scilicet modo, quo negatio est causa negationis, quomodo affirmatio est causa affirmationis. Sicut ergo specialis DEI benevolentia dandi media congrua est ratio consecutionis gloriæ: sic negatio talis benevolentie erit suo modo ratio non consecutionis salutis æternæ. Dixi prima permissio peccati nunquam remittendi &c. Nam permissiones eorum peccatorum, quæ delentur in reprobis vel per baptismum, vel per penitentiam, ita ut nullum ex eis debitum permaneat pænae in æternum sustinendæ, non esse effectus reprobationis, sentiunt citari præmiter ajunt, cum Deus ordinariè non damnet posi-

tivè nisi prævisâ morte, hæc etiam propter alias causas permitti posse.

XXVI. *Doctrina duodecima.* Seclusâ peculiari revelatione nemo potest infallibiliter cognoscere, se esse prædestinatum, & in Libro Vitæ Scriptum. Ita definit Tridentinum Sess. 6. c. 12. ubi postquam omnes fideles monuit, ne quisquam, dum in hac vita mortali versatur, usque adeo præsumeret, ut certò statueret, se esse in numero prædestinatorum, statim subdit hæc verba: *Nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quò DEUS sibi elegerit.* Nihilominus moraliter ex aliquibus indicijs potest homo vel suam, vel alterius prædestinationem conijcere, quod teste S. Bernardo Serm. 2. in Oct. Paschæ innuere videtur Apostolus, cum ad Rom. 8. 16. dicit: *ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod filij DEI sumus.* Indicia autem ejus modi varia constituntur à Doctoribus, de quibus videri potest P. Jeremias Trexelius in Zodiaco. Dixi in doctrina prædestinatum, & in Libro Vita scriptum. Nam hæc duo sumunt nonnulli pro eodem ex illo Danielis. 12. v. 1. in illo tempore salvabitur populus tuus, qui inventus fuerit scriptus in libro. Sed hæc mutua associatio parum probat. Melius igitur S. Thomas 1. P. q. 24. c. 1. ad 4. distinctionem rationis intervenire sentit; quia Prædestinatio est prior Libro vitæ, & huic per modum objecti supponitur; etenim in Libro vitæ scribuntur, hoc est, in notitia DEI cognoscuntur, qui prædestinati sunt. Vnde Tanner 1. P. d. 3. q. 2. dub. 1. Librum vitæ propriè describit: *Notitiam, quâ Deus firmiter retinet, & novit, se aliquos ad vitam prædestinasse.* Ex quâ descriptione majus discrimen inter prædestinationem & librum vitæ apparet, quod videlicet illa actum tam intellectus, quàm voluntatis denotet: ista verò solum intellectus innuat conformiter Scripturæ, in quâ Malach. 3. v. 16. vocatur *liber monumenti*, id est memoriæ, quæ est actus intellectus.

XXVII. Ex dictis hæcenus de Prædestinatione & Reprobatione clarissimè Perspicitur, quis ordo actum divinarum nostro concipiendi modo tam circa prædestinatos, quàm reprobos constitui possit. Loquendo de prædestinatis. *Primus actus* est Voluntatis, quo constituit Deus omnibus decedentibus in gratia dare beatitudinem, & exclusionem à beatitudine omnibus decedentibus in peccato. *Secundus actus* est scientiæ Mediæ, quæ proponuntur DEO omnia media & combinationes circumstantiarum possibilium omnes, & quidquid in unaquaque harum liberè sit futurum à Jacobo v. g. prædestinato. *Tertius actus* est iterum actus voluntatis, quo providere DEUS Jacobo vult media determinata, quibus DEUS per scientiam mediæ novit, si dentur, Jacobum habiturum merita finalia, & gloriam à DEO promissam obtenturum; atque in hoc actu intelligitur duplex voluntas, vel una æquivalens duabus; nempe una quæ habeat pro objecto rationem providentiæ sufficientis: alia quæ habeat pro objecto rationem prævidentiæ efficacis; quippe DEUS non solum vult ea media prædestinatio, quæ scit & videt esse efficacia; sed ipsam etiam efficaciam intendit. *Quartus actus* est scientiæ absoluta, quâ videntur absolute Jacobus auxilijs gratiæ bene usurus, cui conferatur finaliter, & propterea dignus, cuj consecratur præmium, quod promissum est digno per media finalia. *Quintus*

lia. Quintus actus est iterum voluntatis largiendi præmium jam digno in præscientia absoluta. Loquendo de Rebro v. g. Esau Primus & Secundus actus iidem sunt, qui circa prædeterminationem. Tertius actus est, quo DEUS elegit hæc determinata media etiam sciens per scientiam suam Mediam, illis Esau non usurum, & pro sua culpâ finaliter decessurum in peccato: Deus tamen, licet inefficaciam concessorum auxiliorum noverit, attamen neque vult neque probat, neque intendit eandem. Quartus actus est scientia visionis, quâ invenitur tanquam minus habens, & per inpenitentiam finaliter indignus beatitudine æternâ. Quintus denique actus est propositum exequendi supplicium, cuius jam dignus absolute apparet.

XXXVIII. *Perspicitur* 2. discrimen inter Jacobum prædeterminatum, & Esau reprobatum ante prævisâ cujusque merita & demerita. Nam in serie erga prædeterminatum tertius actus non solum est voluntas sufficienter providens, sed etiam est actus specialiter benevolus, electivus singulariter beneficij, atque ideo formaliter spectat ad specialem beneficentiam majoris providentiæ, quam communis: At verò in serie erga non prædeterminatum tertius actus, qui est providentia, caret illis omnibus rationibus. Ergo ante prævisâ merita & demerita finalia prædeterminati Jacobi ac reprobi Esau datur in divinâ voluntate discrimen inter eosdem.

XXIX. *Perspicitur* 3. quamvis simpliciter & absolute loquendo, atque ante omnem liberum divinæ Providentiæ determinationem prædeterminari aut non prædeterminari, sed reprobari negative non sit in potestate hominis: attamen ex suppositione, quod DEUS elegerit hæc media, & non alia: item quod ille ordo mediæ homini ad salutem provisorum habeat rationem prædeterminationis, in hominis potestate essetum prædeterminari, tum Reprobari. Prius patet. Nam utique nullus homo simpliciter & antecedenter ad omnem actum DEI liberum impedire potest Deum, quin, si velit, illum prædestinet, aut non prædestinet, & gratias efficaces vel inefficaces concedat; siquidem homo non potest aliquid ponere, DEUM necessitans, cum primâ simplicitet libertas & exercitium DEI à nulla causa secunda prædeterminari valeat: nec tollere aliquid ex necessarijs requisitis; cum nequeat DEO deesse modus, quo quemlibet possit prædestinare aut reprobari, si velit. Ratio posterioris est, quia hunc ordinem prædeterminationis aut reprobationis à Deo fuisse electum, est contingens à libero hominis arbitrio cooperaturum aut non cooperaturum liberè; ideoque homo acceptis à DEO his medijs & non alijs, potest simpliciter impedire, ne DEUS habeat actum primam proximum libertatis ad illum prædeterminandum, aut reprobandum per hunc ordinem mediæ. Et hoc est, quod supra diximus; absolute non esse in potestate nostrâ, ut fuerimus prædeterminati, quia non est in manu nostrâ, ut hunc vel illum ordinem mediæ DEUS constituat, atque has vel illas gratias nobis concedat: attamen supposito, quod DEUS dare velit hunc ordinem mediæ, atque hæc auxilia in bonum nostrum, esse in potestate nostrâ, facere, ut eadem dando nos prædestinet aut reprobet. Quare quando dicitur, in potestate nostra esse perseverare, aut non perseverare, distin-

guendum est; per hunc determinatè ordinem mediæ, quem Deus ex sola sua libertate eligit, & postquam illum elegit, Conceditur: ante omnem electionem mediæ & per quemcunque ordinem mediæ, quem Deus eligere potest. Negatur. Hanc distinctionem cum S. Prospero tenent Molina Valentia, Arrubal, Granada, Lugo, Pallavicinus, Esparza, Altredè & plerique alij Theologi.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XXX. *Error primus est*, Deum non velle omnes homines salvos fieri. Ita Calvinus L. 3. Instit. c. 24. §. 16. Et L. 2. c. 2. §. 4. Et c. 3. §. 10. Rursus in 1. ad Timoth. 2. cit. Et post hunc Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis Tom. 1. L. 8. c. 15. colum. 514. ubi dicere tam impie, quam impudenter fuit ausus, *erroneam esse sententiam Recentiorum, qui exponunt locum Apost. ad Timoth. (quod velit Deus omnes homines salvos) de voluntate salvandis omnes, quantum est in ipso.* Unde alius gravis error, ut videre est apud Calvinum in 1. Joan. 2. v. 2. & in c. 17. Joan. Beza in Theol. de Sacrific. apud Malderum in Antisynd. c. 7. Christum non pro totius mundi redemptione crucifixum & mortuum esse, sed tantum pro ijs, qui salvantur. Quos iterum sequitur Jansenius Tom. 1. L. 8. c. 26. colum. 546. Et Tom. 3. L. 3. c. 20. colum. 387. ubi ait: *Vanum & stultum est, pro talibus reprobis salvandis Christum seriâ voluntate pati ac mori: vanum est pro talibus à perditione decreta liberandis offerri Patri vota, preces, ac sanguinem suum; mortis enim & sanguinis oblatio est quoddam efficacissimum rogandi genus.* Inducti videntur in pravas has opiniones. In primis autoritate D. Augustini, qui locum illum Pauli 1. ad Timoth. 2. longè aliter explicat Lib. de corrept. & grat. c. 14. scilicet de generibus singulorum, non de singulis generum. Alioquin, inquit, nullus excluderetur à celo; cum nemo illius possit resistere voluntati. Deinde ratione; quia multi moriuntur non adipiscentes gloriam, nec penes illos stat; sed præcisè per Deum, ne tam assequantur v. g. infantes, qui in materno utero aut inter Gentiles ante usum rationis moriuntur, aut qui à natiuitate amentes sunt, & baptismi copiâ carent. Ergo his Deus, quantum est ex ipso, non voluit gloriam. Tum quia, ut argumentatur Jansenius, loc. cit. Christus pro illis mortuus est, oravit, & sanguinem fudit, quibus sanguis, oratio, & mors ejusdem prodest. At qui reprobis non prodest mors, oratio, & sanguis Christi. Ergo &c.

XXXI. *Errorrem hunc geminum sufficienter supra §. 3. rejecimus, quem utrumque etiam aperte rejicit Tridentinum Sess. 6. c. 3. ubi ait: est ille pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, sed ij tantum, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Ubi vides, numerò eorum, pro quibus Christus oravit, sanguinem fudit, & mortuus est, comprehendi etiam eos, qui mortis ejus beneficium non recipiunt; Si autem pro omnibus mortuus est, utique voluit omnes salvos; ad quid enim sanguinem effunderet, preces offerret; & mortem sustineret pro ijs, quos vellet nul-

lum inde fructum ferre, & non salvari? Unde ipsemet Matth. 18. v. 14. ait. *Sic non est voluntas a-*
nte Patrem vestrum, qui in caelis est, ut pereat unus de pu-
illis istis. Et à S. Petro Epist. 2. c. 3. v. 9. dicitur
Deus nolens aliquos perire. Item à Leone Papa Serm.
1. de Nativit. *Christus venisse dicitur omnibus liberan-*
dus, Quod etiam Christus pro omnibus in Cruce
oraverit etiam reprobis, aperte docent S. Scriptu-
ræ & Patres. Joan. 17. v. 20. *non pro eis (discipulis)*
rongo tantum, sed etiam pro eis, qui credituri sunt per ver-
bum eorum in me. 1. Joan. 2. v. 1. & 2. *Advocatum ha-*
bemus apud Patrem JESUM Christum Justum, & ipse est
propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tan-
tum, sed etiam pro totius mundi. S. Hieronymus in
illud Isaia 27. v. 9: *idecirco super hoc dimittetur*
iniquitas domui Jacob; causas reddit, cur post-
quam Judæi in Dominum miserunt manus, ven-
iam consequantur, si voluerint agere pœnitent-
tiam, ut compleatur Salvatoris oratio: Pater igno-
nosce illis, quod enim faciunt, nesciunt: Propte-
rea, inquit, dimittetur iniquitas domui Jacob, ut m-
reatur benedictionem Dei, qui sibi maledictionem fuerat
imprecatus dicens: sanguis ejus super nos & super filios
nostros. Sac. Scripturæ Concilij & Patribus insi-
stentes Summi Pontifices Innocentius X. & Ale-
xander VII. In Bulla contra 5. propositiones ex
opere Janseij excerptas hæc est illis quintam
(semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omni-
no hominibus mortuum esse, aut sanguinem sudisse &c.
declarat falsam, temerariam, scandalosam: & intel-
lectam hoc sensu, ut Christus pro salute dumtaxat præde-
stinatorum mortuus fuerit, tanquam impiam blasphemiam,
contumeliosam, divina pietati derogantem & ha-
reticam, atq; ut talem damnant.

XXXII. Respond. ad primum ex Sac. Scriptu-
ra. Quâ voluntate Deus velit omnes salvos fieri,
id unanimi consensu Patres deducunt ex eo,
quod subjungit: Apost. v. 5. *Unus enim omnium*
Deus, unus Mediator, qui dedit semetipsum redemptionem
pro omnibus. Quemadmodum ergo omnium sine
exceptione est DEUS, Mediator, Redemptor
&c. ita omnium vult salutem; Voluntas enim
mediorum per se arguit voluntatem finis. Veteri-
bus hæc in parte consentit D. Augustinus qui
non modo ingeminat, Christum omnium Salva-
torem & pro omnibus mortuum, quia omnes morti,
sed solenne illud Patrum Græcorum, atque
ex Latinis Cypriani, Ambrosij &c. *Mysticus iste*
Justitia sol omnibus venit, sic admittit, ut omnes in-
discriminatum posse Dei præcepta servare, si mō-
dō velint, sæpius inculcet; cujus rationem reddit,
quod illud Lumen illuminet omnem hominem venientem
in hunc mundum. Ut hic Augustinus veteribus op-
poni non possit, nisi novitatis nota illi inuratur.
Quare si Augustinus dictum illud Paulinum aliter
explicavit, non propterea negavit eum, quem
dedimus, sensum. Imò hunc apud Francisc. de
Lugo in t. P. d. 37. n. 20. aperte diversis in locis as-
seruit, retractando, quas prius insinuaverat alias
interpretationes, ut ait Ariaga idem in t. P. D. 25.
n. 30. Unde Justinianus, Cornel. à Lapidè, Tiri-
nus, alique Sac. Scripturæ interpretes affirmant,
unicam hanc illius loci Paulini genuinam esse ex-
positionem, & quasvis alias veluti à mente Apo-
stoli alienas rejici oportere.

XXXIII. Respond. ad 1. rationem. Deum, quan-
tum est ex se, omnibus hominibus verè velle &
gloriam, & mediâ sufficientiâ ad illam. Ita, ut
nisi per ipsos vel per concursum causarum natu-

ralium impediatur, ea auxilia infallibiliter con-
ferat, consentientibus in hoc omnibus fere Theo-
logis, quorum viginti novem nominat & præter
Patres adducit Fasolus in t. P. q. 19. a. 6. à n.
3. quibus non contrariatur S. Thomas eadem Q.
& Art. ad 1. volitionem illam DEI conditionatam
& inefficacem vocans velleitatem; non enim id
fecit eo sensu, quasi DEUS non actu velit no-
stram salutem, sed tantum voliturus esset imple-
tâ conditione, sed quia voluntas hæc non est ab-
soluta, sed conditionata conditione efficiente ob-
jectum, non ipsam voluntatem. Ad argumentum
igitur negamus consequentiam; quod enim im-
pediatur proxima potentia habendi talia me-
dia, & multi de facto illis careant, non preventid
ex defectu Dei, sed ex concursu causarum natu-
ralium, quibus Deus violentiam inferre, ne ma-
lum illud invehant, nec vult, nec tenetur. Re-
spond. ad 2. rationem. Sanguinem Christi pro il-
lis etiam effusum, preces factas, & mortem su-
scipiam fuisse, quibus nullo modo prodesset, tella-
ri Tridentinum citatis verbis istis: *Esti ille pro*
omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus bene-
ficium recipiunt; quod ipsum Concilium c. 2. & 3.
verba etiam cit. ex Joan. ipse est Propitiatio pro pec-
catis nostris &c. accipit sub distributione generica,
& non solum quoad sufficientiam pretij, quod
omnibus applicari posset, sed ex sincera volun-
tate, ut omnibus, quantum est ex parte sua, pas-
sionis ejus fructus proveniat. In quem sensum a-
peritissime etiam Leo Papa epist. 83. ad Episcopos
Palestinae sic scribit: Effusio pro injustis sanguinis Ju-
sti tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium,
ut si universas captivorum in Redemptorem suum crede-
ret, nullum tyranica vincula retineret; quoniam (sicut
Apostolus ait) ubi abundavit peccatum, superabundavit
& gratia: & cum sub peccati præjudicio nati potestatem
acceperint ad justitiam renascendi validius factum & do-
num libertatis, quam debitum servitutis. Atque hic est
Sanctissimus Pontifex, qui solo XIXto median-
te Pontificibus illis successit, qui Pelagium & Se-
miipelagianos damnarunt. Quis Catholicus sus-
picari audebit, illum fuisse ab eorum sensu alie-
num?

XXXIV. Error secundus apud Tanner Tom. 1.
Disp. 3. q. 4. dub. 4. est Pelagianorum, & Semi-
pelagianorum qui prædestinationis adæquate
voluerunt aliquod esse in prædestinato meritum;
nempe bonas Naturæ & Liberi Arbitrij operati-
ones ac conatus saltem prævisos à Deo; adeoque
dixerunt, prævisâ bona opera elicienda per vires
Naturæ esse rationem prædestinandi tam ad gra-
tiam, quam ad gloriam, quod ita universum re-
tulerunt, ut etiam infantes ante baptismum &
rationis usum decedentes affererent judicandos à
Deo ex operibus, quæ facturi prævidebantur, si
ad activam vitam pervenissent. Videatur citatus
Auctor ubi à n. 3. fusè utrorumque errores ex S.
Augustino, Prospero, Hilario, Arelatenfi expo-
nit. Nituntur maxime hoc triplici fundamento
1. Quod Deus alias videretur personarum acce-
ptator 2. quod juxta receptum axioma apud Theo-
logos: *Facienti quod est in se, Deus non denegat suam*
gratiam; ex quo inferunt; Ergo si homo viribus
naturæ servet legem, quantum potest, disponet
se ad gratiam, & per consequens est causa totius
prædestinationis. 3. quod alias homines rede-
rentur pigri suæque salutis negligentes, frustra fie-
ri at-

ri arbitrati, quidquid egerint, cum primum prædestinationis effectum mereri non possint.

XXXV. Ex hoc errore inferitur 1. initium salutis non esse à solo Deo, sed à nobis contra illud Osee 13. v. 9. *Perditio tua Israël tantummodo in me auxilium tuum.* 2. Prædestinationem non esse Misericordiae, sed Remuneracionis, contra Apost. ad Rom. 9. v. 16. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis DEI.* 3. hominem se ipsum discernere per opera sua naturalia contra illud 1. ad Corinth. 4. v. 7. *Quis te discernit? quid ausum habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 4. In rebus ad salutem pertinentibus posse hominem solis naturæ viribus aliquid præstare contra illud 2. ad Corinth. c. 3. v. 5. *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* 5. Exordium justificationis in adultis non esse à gratia præveniente contra multa Concilia, & novissimè contra Tridentinum Sess. 6. c. 5. ubi aperte definit, ipsius justificationis exordium in adultis à Deo per Jesum Christum præveniente gratiâ sumendum esse; hoc est, ab ejus vocatione; quia nullis eorum præcedentibus meritis vocantur. Quare errorem hunc damnarunt Concilium Araul. II. approbatum à Leone I. & Tridentinum Sess. 6. c. 5. cit. Oppugnârunt S. S. Patres & acerrimè S. Augustinus passim. Rejecerunt constanter Theologi inter meritum & præmium requirentes proportionem aliquam; quæ autem proportio inter vires Naturæ & Gratiâ? Benevolus Lector revideat, quæ diximus supra controv. 49. de Gratiâ divinæ necessitate, & stupeat, quomodo Novatores àliqui hæresin Pelagianorum & Semipelagianorum Patribus Societatis impingere ausi fuerint, cum inter hos & illos in doctrina de Prædestinatione Gratiâ, & Viribus liberi arbitrii tantum intercedat discrimen, ut è diametro, quod Pelagiani & Semipelagiani affirmant de viribus Naturæ, negent Patres Societatis: & quod isti Patres tribuunt divinæ gratiæ, demant eidem Pelagiani & Semipelagiani. Ipsi potius Lutherani inter se & suos exortas de Prædestinatione lites & contentiones componant; nominatim inter Ægidium Hunnium & Samuelem Hueberii, qui posterior sicuti illi priori visus est hac in re calvinizare, ita ille prior huic posteriori visus est Pelagianizare. Qualis controversia magnâ contentione agitur etiamnum hodie inter Holandorum Doctores Calvinianos, Demonstrantes scilicet & Contrare monstrantes; adeo ut isti posteriores dicant titulo de Gratiâ divinâ, ovum ovo vix magis esse simile, quàm illorum priorum doctrinam Pelagianorum erroribus.

XXXVI. Respondetur ad 1. in oppositum, acceptionem Personarum, uti supra jam insinuavimus, accidere posse vel in donis gratuitis; sicuti est Prædestinationis gratia: vel in debitis justitiæ Distributiæ, quando alicui plus vel minus tribuitur quàm ejus conditio aut meritum ferat, solum ideo, quia est amicus, inimicus &c; tunc siquidem non attribuitur ei res propter causam, quæ facit dignum, sed ob aliud motivum non faciens ad rem; unde Personæ conceditur. In hoc posteriore solum objecto (quale utique non est gratiâ, de qua agitur) vitiosa personarum acceptatio propriè incurritur, ut docet S. Thomas. 2. 2. q. 63. a. 1. ad. 3. quæ idcirco tam asseveranter arceat à Deo S. Petrus Act. 10. v. 3. inquit: *in veritate comperi, quia non est Personarum ac-*

ceptor DEUS; quia scilicet æqualiter ex gratia merentibus semper æqualia præmia tribuit. Acceptatio in priorè sensu non est propriè acceptatio personarum; unde sic impropiè eam accipiendò nihil DEO derogat. Ad 2. negando illatum, quia axioma illud intelligendum de homine faciente cum auxilio gratiæ prævenientis jam exhibitò, quod in se est, uti post S. Thomam supra jam controversia 49. §. 30. in expositione hujus ipsius axiomatis adductum explicant Valentia; Valquez; Medina Tanner Tom. 2. Disp. 6. Q. 3. num. 217. & hoc teste alij RR. communiter. Videantur Franc. Lugo 1. P. Q. 40. c. 8. & Ariaga Tom. 4. D. 41. ubi aliam quidem explicationes afferunt, non tamen ita receptam, nec Adversarijs faventem. Ad 3. etiam si non possumus primum prædestinationis effectum mereri, ad hoc tamen, ut non reddamur pigri & salutis procurandæ negligentés, sufficere, nos certò scire, gratiam nobis paratam esse, si solummodo cooperari velimus, DEUM stare ad ostium ac pulsare; unde frustranea minimè est oratio; licet enim orare non possumus, nisi præventi gratiâ, ut docet Arausicanum, attamen ubi præventi sumus, orandum est, ut subsequentes ac uberes gratias accipiamus, ad quod aliæque similia pia opera faciendâ impellimur concionibus, exhortationibus, lectionibus libellorum Spiritualium &c.

XXXVII. Error tertius est Joannis Calvinii, Deum æterno suo decreto quosdam homines ad vitam æternam ordinasse: alios verò absque respectu ad peccata seu demerita destinasse ad æternam damnationem. Hic error, quia longè gravissimus est, pluraque in se complectitur. Ut ejus crudelitas, impietas, blasphemia & falsitas luculenter ostendatur, simulque manifestè appareat toto cælo ab eo distare sententiam Catholicorum, idcirco singula ejus membra ordine proponemus, & rejiciemus. Itaque.

Primo docet Calvinus, Deum æterno suo decreto aliquos homines absque ullo merito solum, quia ita illi placet, ordinare ad vitam æternam sic gratis in tempore accipiendam: alios verò absque ullo etiam illorum demerito destinare ad mortem ac pœnas æternas suo quoque tempore infligendas. Ita Scribit L. 3. Instit. c. 21. n. 1. post initium: *Palam est, Dei nutu fieri, ut alijs ultrò offeratur salus: alijs ab eisdem aditu arceantur.* Et c. 23. n. 2. itidem post initium: *homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædestinantur.* Similia habet alibi, nullam prævisionem meritorum aut demeritorum, nullam distinctionem inter intentionem & executionem sive in voluntate divinâ sive in ipsâ saltem re admittens. Nittitur maximè verbis D. Pauli. In epist. ad Rom. c. 9. v. 11. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum DEI maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major ferviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau odio habui. v. 16. Igitur non est volentis neque currentis sed miserentis DEI. v. 17. In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam. v. 18. Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. v. 21. An non habet potestatem figulus lutu ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.*

XXXVIII. Error iste, aliquos scilicet antè prævisum peccatum ad mortem fuisse destinatos. In primis repugnat Sac. Scripturæ, & Deo, qui ex

Bonitate suâ omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire 1. ad Timoth. 2. v. 4. Et ideo Christus JESUS dedit in redemptionem semetipsum pro omnibus nobis. ibidem v. 5. Ex justitia verò sua non damnat, nisi mortis reos, ut perditio nostra non sit ex Dei voluntate, sed ex culpa nostra, provocante justam Dei iram & damnationem juxta illud Osee 13. v. 9. *Perditio tua Syria, tantummodo in me auxilium tuum.* Deinde repugnat Doctrinæ S. S. Patrum, ex quorum omnium mente D. Augustinus hunc articulum (Deus majorem partem hominum ad hoc creat, ut illam perdat in æternum.) à Semipelagianis falso sibi impositum hæc verbis rejicit: *omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut pereat quia alia causa est nascendi alia pereundi, ut enim nascerentur homines, est beneficium, ut autem pereant, prævaricationis est vitium.* Hoc benignè & eloquentissime expressit Tertullianus L. de resurrex. carnis, cum ait: *Deus de suo optimus: de nostro justus.* Explicari idem solet exemplo Judicis, qui voluntate primaria, quæ vir bonus est, vult omnes cives salvos & incolumes vivere: at si videat quenquam peccare, voluntate secundaria & consequente, quia justus est, vult illum punire. Demum repugnat communi Catholicorum sensui, & aperta desperationem ingerit, dum quisque sibi inde dilemma fabricat, & velut ferreis compedibus se constringit. Vel sum prædestinatus, vel reprobatus; si sum prædestinatus, certissime salvabor, quomodocunque tandem vixero: si reprobatus, necessariò damnabor, quocunque me vertero. Fruar ergo voluptatibus, quamdiu licet; quia non obesse possunt prædestinato: & reprobum solari possunt saltem in hac vita. Refert. D. Augustinus L. de bono perseverant. c. 15. quendam Monachum sui monasterij eduisse deductum hæc argumentandi ratione, ut tandem desertâ vitâ religioâ ad sæculum reverteretur, & periret; scilicet iste est fructus veterum hæreticorum, quos imitatur Calvinus, & in eandem miseriam infelices Homines conjicit. Quare jure meritissimo pridem jam damnatus est error iste in synodo Valentina III. anno Christi 855. can. 4. his verbis: *aliquos ad malum prædestinatos esse divinâ potestate, scilicet ut quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausiana Synodus, illis anathema dicimus.* Eadem verba videte est in Concil. Araus. II. c. 25.

XXXIX Erubescunt crudelem hanc Magistri sui blasphemiam molliores hodie Calvinistæ. Zacharias Ursinus, David Pareus, Guilielmus Amelius, Andreas Rivetus, & universa Synodus Dordracena. Sed revera nihilo sunt meliores. Nam 1. nullum ipsi quoque faciunt discrimen inter intentionem & executionem, sive in voluntate divinâ, sive in ipsa rei quia nimirum beatitudinem absque ullis proprijs Electorum meritis non minus re ipsa dati, quam in proposito divinò intendi arbitrantur, contra clara S. Scripturæ testimonia & communem Orthodoxorum sensum, è quibus nullus contra ipsos nobiscum non sentit. 2. Ursinus in explicatione catechetica, & Pareus in recognit. ejusdem parte 2. q. 3. aperte docent reprobationis causam esse merum Dei arbitrium, quod ipsum ex communi hodie Calvinistarum doctrina sentit Rivetus in summa controversiarum

Tract. 8. q. 9 n. 9. ajens: *si ergo queratur causa, sub Deus hunc vel illum hominem volverit destinare ad perditionem, nulla alia dari potest præter Dei voluntatem.* Quid autem hoc est aliud, quam Deum ante prævisa absolute peccata, & finalem impenitentiam aliquos positivo actu è regno Cælorum excludere? nolle illos simpliciter & absolute salvare, vel in mortem æternam efficaciter destinare, inque cum finem necessaria media procurare, sceleratas scilicet actiones & c. ut aperte admittit Beza in Actis colloquij Mombelgartensis parte 2. passim, & est ipsissima mens atque impiissima blasphemia Calvinii.

XL Allegat quidem Rivetus num. 10. aliquos Romanæ Ecclesiæ Theologos, quasi suæ impietati ad stipularentur, dum ajunt, *Deum quosdam velle salvos: quosdam non.* Item posse Deum absolute aliquos ex sola suâ voluntate æternis cruciatibus mancipare. Sed homo sine fronte per aperta hanc calumniam simul prodit nequitiam & incitiam suam insigniter quod Authores nostros legat, & non intelligat, & ita quid pro quo scribat, cartas impleat, lutos vendat. Nam quando Theologi Catholici ab ipso relati asserunt, Deum velle quosdam salvos, quosdam non, per istud posterius minime volunt Deum habere actum positivum, illos excludendi à beatitudine ante prævisam ipsorum impenitentiam finalem, Sed asserunt, Deum eosdem non efficaciter velle salvos, hoc est, non tam congrua & efficacia media submittere, quibus illos noverrat consensuros, si darentur; licet sufficientia media eis nunquam deneger, semperque optet, ut istis, sicuti possunt, utantur & salventur; atque ita ex mente Theologorum non velle quosdam salvos, nihil est aliud, nisi hoc minus, quam illos amare; in quem modum communiter exponitur illud Malachiæ 1. v. 3. *Jacob dilexi, Esau odio habui.* id est minus dilexi; etenim phrasi Scripturæ audio haberi dicitur, qui alteri postponitur, hoc est non ita vehementer, sed minus diligitur. Sic Lucæ 14. v. 26. ait Christus: *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem suam & c.* hoc est, qui amat Patrem & Matrem plusquam me, ut declaratur Matth. 10. v. 37. Rursus quando iidem Doctores nostri asserunt, Deum posse aliquos ex sola sua voluntate æternis cruciatibus addicere, loquuntur non strictim de hoc statu & præsentibus decretis, sed absolute de perfectissimo Dei dominio: nec de cruciatibus, quæ pænæ sunt, & culpam supponunt, sed quæ præcisè cruciatus sunt, quamvis etiam juxta hunc sensum plerique alij contrarium teneant, quæ his huc non spectat. Videri de ea potest Tanner Tom. 2. Disp. 4. Q. 10 dub. 6. Cæterum nos priore parte jam diximus, Deum in primis velle omnibus decedentibus in gratiâ dare beatitudinem: exclusionem verò ab ista decedentibus in peccato mortali. Deinde omnibus providere media ad beatitudinem obtinendam: aliquibus tamen conferre etiam congrua quibus novit illos consensuros, & merita finalia habituros; cum interim videat, alios auxilijs illis merè sufficientibus non afutos; unde illos discernit & prædestinat: non istos, sed permittit labi in peccatum, & tandem in hoc finaliter discedere; quod est permissivè seu negativè reprobare. Demum visis per scientiam absolutam prædestinatorum meritis in seipsis statuere in executione ista præmiare reprobatorum verò finalia peccata

idem

itidem per eandem Scientiam punire pœnâ æternâ damnationis. Ecce quantum distet hæc Catholica nostra doctrina ab impia & hæretica opinione Calvinistarum.

XL I. Responderit nunc ad fundamentum Calvini, Scripturam scilicet, quæ c. 9. epist. ad Rom. impietis doctrinæ nihil proors favor. Tum quia adducta loca agunt de homine corrupto per peccatum originale, ut omnes Patres explicant: Calvino probatio incumbit, DEUM reprobasse quosdam ante prævisum peccatum originale. Tum quia agunt de reprobatione à gratia: ac Calvinus intendit probare, quosdam rejici à gloria ante prævisâ peccata, quod falsissimum est, nec ex dictis Apostoli erui potest. Nam DEUS vult omnes homines salvos, providetque illis sufficientia media, ut diximus, quibus salutem, si velint, consequi possint; quia verò nolunt reprobi, Deus permittit illos cadere, perseverare & mori impoenitentes. Atque ita discedentes ex hac vitâ excludit à beatitudine, ac pœnis æternis adiudicat. Quæ hujus ultimi actûs seu damnationis est causa? nequaquam mera DEI Voluntas, ut blasphemè sùgit Calvinus, sed peccatum, in quo reprobi moriuntur, & ita propria culpâ impoenitentes discedunt. Loquendo de argumento ejusdem epistolæ juxta Patrum & Interpretum sensum. Scribit D. Paulus ad Romanos, qui mixti erant ex Judæis & Gentibus. Judæi efferebant se propter Legem & Circumcisionem. Apostolus conatur eos retundere. Itaque c. 9. 10. 11. ostendit, Judæos in novâ Legge excludi à gratia Evangelicâ: admitti verò Gentes. Et quia Judæi obijcere poterant, quare nos repellimur, & gentes admittuntur? Nobis facta est promissio, non illis. An promissio DEI semel facta potest irritari? Responderit D. Paulus, promissionem firmam esse, si rite intelligatur. Abraham credidit DEO asserenti, fore ut in senectute suâ acquireret filium, propter hanc fidem facta est illi promissio, Messiam ex ipso nasciturum. Hæc promissio sicuti facta est Abrahamo propter singularem ipsius fidem, sic etiam pertinet ad filios Abrahamæ. qui Patris sui fidem sunt imitaturi. At Judæi, quando jam natus erat Messias ex Posteris Abrahamæ, noluerunt credere in Christum Messiam, & ideo non pertinet ad eos promissio. Ergo possunt salvâ promissione excludi à gratiâ Evangelicâ propter incredulitatem. Ecce D. Paulus cit. locis loquitur de Judæis repulsis à gratiâ Evangelicâ: Calvinus de reprobatione à gloriâ. Paulus loquitur de Judæis reprobatis ob incredulitatem: Calvinus de reprobis ex solâ DEI voluntate sine prævisis peccatis. Quomodo ergo mens Calvini non alienissima est à sensu S. Scripturæ & D. Pauli?

XL II. Reliqua in eodem c. 9. ad Rom. eò tendunt, ut ostendat Apostolus, DEUM pro suo arbitrio inæqualiter distribuere sua dona; quia verò dicere poterant Judæi, non solum se, sed etiam Gentiles esse peccatores, ac proinde parem esse utrorumque causam, nec se magis quam illos excludendos fuisse, occurrit illis D. Paulus, DEUM in pari duorum causa posse uni plus largiri, quam alteri. Par erat causa Jacob & Esau, & tamen DEUS unum alteri prætulit non solum in benedictione temporali, sed etiam cælesti; etenim supra §. X. jam diximus, esse Theologos, qui velint de fide esse, hos duos fratres

Typum gerere prædestinatorum & reprobatorum. Unde sensus verborum Apostoli redigi potest in istam formam. Quemadmodum olim DEUS se habuit ad Jacob & Esau, ita se habuit ad Gentes & Judæos. Sed Jacobum præ Esau elegit non ex operibus, utpote cum non dum nati essent &c. Ergo etiam Gentes elegit præ Judæis non ex operibus, sed ex mero beneplacito. Si ergo quæstio fiat comparatè, cur è duobus sive solo peccato originali, sive etiam actuali infectis DEUS uni majorem exhibeat misericordiam, quam alteri? causa alia assignari non potest, quam Voluntas DEI, ad quam nihil possumus dicere, nisi exclamare cum Apostolo c. 11. v. 30. *ò altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia DEI*, &c. Si rursus quæstio instituat absolute, cur DEUS hunc vel illum repellat à justitiâ & gloriâ? vera causa allegatur, quia peccator & impius est. In responsione ad priorem quæstionem non contendimus cum Calvino: in responsione verò ad posteriorem ab eo recedimus. In primis ad hærentes Apostolo affirmanti, Judæos repulsos esse à gratiâ Evangelicâ propter incredulitatem eorum. c. 11. v. 20. Deinde D. Augustino asserenti, Esau odio habitum propter peccatum, DEUS, inquit L. 1. ad Simplicianum, non odit Esau hominem, sed odit Esau peccatorem. Demum & præcipue ipsi Christo arcenti reprobos à cælo, & ableganti hos in ignem æternum, quia *esurienti non dederunt manducare &c.* Math. 25. v. 35.

XL III Dilemmati supra adducto Calvinus L. 3. c. 23. §. 12. nequicquam mederi ac satisfacere conatur, dicendo, prædestinatos excitare se debere ad Sanctitatem, quæ est scopus prædestinationis, reprobos verò mentiri, dum prætendunt, operam se perdituros, si studeant bene agere. Verum cur prædestinati se excitent ad sanctitatem, si sola eorum electio ad salutem sufficiat, & absque ullo respectu ad bona opera sit facta? quomodo etiam reprobi non perdunt operam, si bene studeant agere, si illis necessario pereundum est? Expedita solutio est apud nos Catholicos; sic enim quisque secum discurrere potest. Si prædestinatus sum, id est, si à DEO ordinatus sum ad vitam æternam per certa media, quæ in mea sunt potestate; consequendam, certò consequar vitam æternam, modò illa media adhibuerim. Rursum si sum reprobus, id est, si à DEO destitutus sum ad perpetuos cruciatus propter mea peccata, quæ libere commissurus sum, certò damnabor, si illa peccata committam, & ab ijs non abstineam; ut igitur melius sperare valeam, melius me geram. Hæc solutio reddit animum tranquillum & pacatum; quippe nec eum, qui in peccatis est, facit desperare: nec ei, qui justus est securitatem promittit; quin potius ambos hortatur ut cum timore & tremore salutem suam operentur. Quid verò absolute de hoc dilemmate ejusque duplici propositione censendum sit, diximus §. xiv. circa finem.

XL IV. *Secundo docet Calvinus*, decretum divinum de prædestinatis ac reprobatis adeo esse fixum & immobile, ut tollat omnem in eis libertatem, ut ineluctabili quâdam necessitate illi salventur: pereant isti. Ita Scribit L. 3. Instit. l. c. 21. n. 7. paulo ante finem: *Dicimus ergo aeterno & ineluctabili consilio Deum constituisse, quos olim assumere vellet in salutem: quos rursus exitio devovere.* Et c. 23, n. 8. post initium;

um: non dubitò simpliciter fateri, voluntatem DEI esse verum necessitatem, atque id necessarid futurum esse, quod ille voluerit. Impiam hanc blasphemam & hæreticam opinionem abunde supra Controv. 46. §. 10. rejecimus. Et certè si omnia sunt necessarid, quæcunque sunt; quia DEUS ita fixo & immobili decreto statuit, ut operibus istis salventur prædestinati: illis pereant reprobati; quorsum præcepta Dei & hominum? Frustra Imperatores Reges & Principes figunt mandata: frustra inhibentur scelera: frustra Parentes jubent natos studiosos ac subiectos esse: frustra Calvinus & alij Ministri ascendunt pulpita, populum hortantur, fidem excitant; quid enim sperare, aut expectare possunt? Si DEUS jam ab æterno decrevit, quid ab unoquoque fieri velit, & hoc necessarid eventurum sit. Profectò quidquid agas aut moliaris, impedire non potes. Nec solum in Superioribus & Prælatibus inanis erit labor mandandi, prohibendi, increpandi, sed etiam in subditis concidat omnis sollicitudo, & bene agendi studium, necesse est Quis etiam audiat, æterno ac immobili DEI decreto sibi fixam esse vitam aut mortem, quin protinus in mentem veniat, nihil interesse, quomodo se gerat, siquidem suo opere nihil aut impediri, aut promoveri queat DEI prædestinatio. Ita omnes projicient se, & deploratum in morem, quoque libido tulerit, præcipites ibunt. Adhæc si ita se res habet, cur puniuntur adulteria, furta, quæ evitari non possunt? Et cur ea vitia hominibus imputantur, quorum necessitatem DEUS suâ prædestinatione imposuit? quid enim facerent miseri? an cum decretis DEI luctarentur? At frustra id facturi sunt, si omnino facere non possunt. Ecce ad quæ absurda devoluantur Calvinistæ ex hoc suo errore, quem etiam à S. Scriptura & Patribus apertè rejici & damnari ostendimus loc. cit.

XLV. Nos libertatem minimè violamus, hoc ipso quod ex ipso liberi arbitrii motu per Scientiam Mediam præviso dicamus, primò Prædestinationem non esse simpliciter antecedentem, secundò eam inducere necessitatem solum consequentem, tertio positâ gratiâ, quæ nulli denegatur, in manu ac potestate esse etiam reprobatorum suam salutem. Non possunt autem Calvinistæ ad similem & consequentem duntaxat necessitatem confugere, cum nec in explicatione catechetica Vrsini & Parei, nec in Summa controv. Riveti, nec in ipsorum alijs libris conditionalium eventuum & liberorum motuum prænotio & observatio assignetur, ut ita salvâ libertate creatâ ab æterno omnia conformiter rerum naturis suaviterque statuuntur & ordinentur; sed eorum tantum operum scientia admittatur, quæ posito jam decreto prædestinatorum ac reprobatorum, ipse Deus in eis efficere statuit, ut in terminis docent Vrsinus, & Pareus locis cit. quibus consentit Rivet. Tract. cit. q. 6. passim. Dicunt Veteres in negotio de Prædestinatione & Reprobatione Præscientiam DEI non admisisse. Respon. hoc esse falsissimum, ut ostendunt omnes Patres Societatis nostræ, ac nominatim Altrede in 1. Part. Disp. 29. sect. 4. & seqq. D. Augustinus Lib. de Prædest. & gr. cap. 19. sic scribit: *Si dicitur jam, Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præsciverat DEUS, non esse mutandum. Respondetur, DEI præscientiam non cogere hominem, ut talis sit, qualem præscivit Deus: sed præscire talem futurum, qualis futurus est; quamvis illi non*

sic fecerit Deus. Huic loco Calvinus solum opponit hæc impudentiæ suæ Verba: *Ne Augustinus quidem illâ suppositione interdum solutus est; quemadmodum ubi dicit, indurationem & obcecationem non ad operationem DEI: sed ad præscientiam spectare. Calvinistæ Recentiores si contra Magistrum suum citatum librum nolunt agnoscere esse S. Augustini, non idcirco id eum effugiunt; quippe sciantur esse vel Cassiani vel Fulgentij, quorum ille fuit discipulus S. Chrysostomi, iste verò sub Trajano Rege Vandalorum circa annum Christi 500. floruit. Adeoque si prædictus liber non est S. Augustini, est saltem antiquorum & catholicorum Doctorum, à quibus suam habet Auctoritatem.*

XLVI. Tertio docet Calvinus, DEUM reprobis negare fidem & omnem gratiam. Sic ait L. 3. Instit. c. 24. n. 2. statim post initium: *quos in vita contumeliam & mortis exitium (DEUS) creavit, ut ira suæ organâ forent, eos ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat: nunc ejus prædicatione magis excecatur & obstupescit. Et n. 13. ad ipsum initium: cur ergo gratiam illis largiendo hoc prætermittit? De alijs causam reddit Lucas, quia advitam sunt ordinati: De alijs verò, quid sentiemus, nisi quia sunt vasa ira in contumeliam. Ad stipulatur Magistro suo Amelius Tom. 4. contra Bellarm. L. 3. c. 2. fol. 44. ubi excommuni aliorum Calvinistarum sensu ait: *negamus auxilium DEI sufficiens abis recipi; qui nunquam re ipsâ convertuntur. Errorem hunc non rejicimus hic loci pluribus, cum id ex S. Scriptura, Patribus Concilij & Ratione abunde factum sit supra Controv. 48. de Gratæ Actualis divisione in Sufficentem & Efficacem. Solum addo pulcherrima verba D. Chrysostomi ad Rom. 9. Serm. 16. ita se habent: Unde igitur alij vasa sunt ira: alij verò misericordia? ex propria voluntate. DEUS enim quoniam vehementer bonus est, erga utroq; bonitatem suam declarat. Nec enim eorum duntaxat, quos salvabit, sed & quantum in se fuit, Pharaonis miseriam est. Quod autem salvatus non est, totum per suam ipsius voluntatem stetit; ita ut quantum ad eum attinebat, nihil ab illis, qui salvati sunt, minus haberet. Ecce Pharaoni non defuit gratia. Idem affirmat expressis verbis S. Augustinus Lib. de prædest. & grat. c. 17. Et habetur cap. Nabuchod. 23. q. 4. Nos reprobis concedimus Fidem & Gratiam sufficientem, & hanc quidem ad finalem etiam conversionem, quâ DEUS illos prævenit, & cum ea gratia vocante offert etiam gratiam adjuvantem, si modo istam velint, sicuti velle possunt; quam proinde gratiam (& consequenter salutem suam) esse re ipsâ respuant reprobi, rectè tamen habere dicuntur, quia possunt accipere; nihil quippe magis habere dicimur, quàm quod in nostrâ est potestate. Unde Apoc. 3. v. 20 dicit Christus ad hominem perinde quemlibet etiam reprobum: *Ecce sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum. Huc faciunt omnia ea, quibus DEUS omnes ad conversionem & pœnitentiam hortatur, & exprobat, non peractam pœnitentiam, ideòque varias pœnas tentat. Exprobrare autem non possit apud Isaiam 5. v. 4. quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei, si non sufficientem medicinam omnibus etiam reprobis suppeditasset.***

XLVII. Quarto docet Calvinus, DEUM impellere reprobos ad peccandum. Ita scribit L. 1. Instit.

fit. c. 18. n. 3. circa medium agens de peccatis, quæ Catholicis docent fieri à DEO permitente: Jam satis aperte ostendi, DEUM vocari omnium auctorem, quæ isti valent otioso ejus permissu contingere. Hanc Calvini esse mentem, Calvinistæ fatentur, & aliqui ipsum sequuntur, inter quos est Hieronymus Zanchius L. 5. de natura DEI. cap. 2. & alij, & satis constat ex decreto statuum Hollandiæ Anno. 1660. In quò latine reddito hæc verba leguntur: *Cum plures lites & dissensiones in Ecclesijs harum Provinciarum causata fuerint super diversis expositionibus de quibusdam S. Scriptura locis, de æternâ DEI prædestinatione, & qua inde dependent, unde graves disputationes secuta, imò tante, ut aliqui juxta verba illorum directe vel indirecte doceant, quod Dominus DEUS aliquos homines creavit ad damnationem: homines ad peccata necessitet &c.* Errorum istum Calvini commedius in lequentibus controversijs, de peccatis ex instituto refellemus. Nunc sufficit, quod ipsi Status Hollandiæ in prædicto decreto opinionem hanc vocent *abominabilem & detestandam*, & in hoc Ecclesiæ Romanæ Catholicæ consentiant, quæ talem doctrinam semper damnavit. Nos à gravissimâ hac blasphemiam longissimè absumus hoc ipso, quod libertatem creatam non lædamus, & gratiam reprobis concedamus, quibus peccata quævis evitare & possint & debeant, ut proinde si nihilominus ab ipsis committantur, DEO non possint nisi permissivè adscribi; & iste jure meritissimo ad illos dicat, quod olim Judæis Osee 13. v. 9. *perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum.*

XLVIII. Dicunt Calvinistæ, se quoque non nisi permissivè DEO peccata tribuere. Sed quomodo hoc verum? Tum quia eorum Magister Calvinus DEO peccata tanquam auctori adscribit, & nomen permissionis rident. Tum quia Ursinus & Pareus in explicatione catechetica fol. 190. & Amelius Tom. 4. fol. 25. aperitissimis verbis loquuntur de permissione voluntatis eventum ipsum præveniente, quod ipsum etiam facit Riverus allegans confessionem Ecclesiæ Gallicæ & Belgicæ; ac tandem n. 15 ait: *verum est, posita DEI providentiâ vel effectivâ vel permissivâ, necessario futurum effectum, qui in se non erit necessarius; quia, etsi cum talis sit, qui impediri possit, non impeditur tamen, quia DEUS aliter disposuit, per voluntatem scilicet efficacem, ut paulo supra dixerat.* Unde sic argumentari possumus. Quidquid DEUS ex se efficaciter vult, disponit, ac prædestinat, illius est Causa & Author. Sed DEUS ipsa etiam peccata ita ex se efficaciter vult, disponit, ac prædestinat. Ergo illorum est Causa & Author. Conclusio est bona. Minor est ipsorum Calvinistarum. Majorem nemo negare potest, qui non juravit omnem DEO effectum denegare; ejus enim rei Causa & Author erit DEUS, si illius non est, quam ex se efficaciter vult & prædestinat? At, inquit Adversarij, Deus prædestinat causas liberar. Et quid tum postea, si libertatem illis non relinquat. An non prædicans Calvinisticus verè est causa furti, mendacij, adulterij, blasphemie &c. alterius hominis, quando istud inducit certis modis, ut furetur, mentiarur, adulteretur, blasphemet &c? quantumvis hæc ille liberè faciat. Cur ergo non etiam DEUS sit Causa peccati, cum in istud inevitabili prædicationis suæ necessitate hominem impellat? Certe si per impossibile DEUS ex instantio hominem vi quadam impulsivâ trahere ad peccatum veller, non aliâ id ratione melius

quàm efficaciter simili volitione & liberum arbitrium antecedente prædicatione præstare posset. Quod si ex Catholicis Doctoribus extra Societatem Jesu nonnulli Calvinistis ad stipulari videantur, quos suis nominibus citat Riverus, illis sui defensionem relinquo, quæ ipsidem non deerit, aliter principia doctrinæ suæ explicando, quam ab hæreticis apprehendantur & assumantur, quibus primum est, doctrinam Catholicorum in finitum sensum interpretari, ut mox etiam constabit.

XLIV. Hactenus de sententia Calvinij, quam Joannes Gerhardus (Lutheranus ipse.) L. 2. Confess. August. à fol. 500. referendo ingentem seriem fruit Authorum Pontificiorum, quasi isti omnes Calvino ad stipularentur idemque cum ipso assererent, Sed homo hæreticus, dum fraude & dolo actus Catholicis Doctoribus calumniam parat, suam ipsius inscitiam manifestat aperitissime. Nam tamen aliqui ex Catholicis Doctoribus etiam ex Societate Nostra velint, DEUM prædestinatis in primo statim signo intendere gloriam ante prævisa absolute eorum merita, ab eadem tamen gloria non docent sic positive ullum arceri: nec ajunt, DEUM velle gloriam illam dare in tempore absque ullis meritis, sed in posteriori, eum statuere, quomodo velit gloriam intentam conferre, conformiter, ut putant, Scripturæ, D. Augustino, & S. Thomæ. Addunt etiam, DEUM per Scientiam Mediam scivisse omnia media, quibus, salva libertate, prædestinatorum, & salute reproborum, possit illam intentionem suam destinatae gloriæ executioni mandare. Itaque ingens & multiplex est discrimen in negotio prædestinationis & reprobationis inter Calvinistas & Pontificios. *Primo Calvinistæ docent, Deum statim intendere gloriam hominibus gratis, & absque ullis meritis re ipsâ aliquando dandam.* Catholicis intendunt quidem gloriam etiam omnibus prædestinatis, sed in hoc signo abstrahunt à modo executionis, quæ postea ajunt à Deo determinari, ut scilicet ad ultis non deur gloria, nisi per merita propria: infantibus autem per aliena merita Christi. *Secundò dicunt Calvinistæ Deum intendendo prædestinatis gloriam excludere positive reprobos, eoque in infernum destinare:* Catholicis docent nullum positive repelli à Beatitudine, sed Deum tynerè omnibus hanc velle, idèoque media illis providere talia, ut in eorum manu sit, salutem æternam consequi; si modò concessis auxilijs uti velint; quos tamen ipsidem non usuros novit, & perimit, atque sic permissivè sive negativè reprobatur. *Tertio Volunt Calvinistæ independenter ab ulla scientia prævisionis motu libertatis creatæ statuere ac disponere Deum omnia media, & prout ipse ordinavit, executioni dare, atque homines ad eadem instigare:* Catholicis docent, dari in Deo scientiam Conditionalium, quæ omnes motus libertatis creatæ sub quâlibet conditione Deus prævidet futuros, & conformiter huic libertati media ordinare, atque executioni mandare. Manent igitur hæc tria firmataque inconcussa. 1. Sententiâ Calvinij esse impiam crudelem, ac blasphemam 2. Sententiâ illorum Catholicorum, qui in primo statim instanti dicunt, Deum intendere gloriam absque ullis prævisis meritis: & in posteriori primum propter hæc prævisa eandem gloriam decerni dandam, nihil penitus notæ gravioris mereri: idèoque Gerhardum fatere his in juriam, dum illos comparat Calvinistic & pro

& pro istorum opinione refert: falsissimum quod esse, quod injuriose jactant nonnulli Recentiores Calvinistæ, in quæstione de Prædestinatione, se stare Bellarmini calculo; Cum iste sequatur Sententiam D. Thomæ supra §. 14. relatam, quæ utique remotissima est à blasphemia Calvinii. 3. Doctrinam nostram de Prædestinatione, prout à nobis in hac Controv. §. VII. fuit explicata, ita esse Conformem Sac. Script. Concilijs & Patribus, ut neque Gerhardus alijque Adversarij reperiant, quod huic objiciant, in eaque reprehendant.

L. Error quartus. Reprobatio positiva seu damnatio non electorum ad penam gehennæ facta fuit post solum peccatum originale prævisum. Ita Janfenius Iprentis Tom. 3. Lib. 10. cap. 3. col. 1021. ubi sic scribit: *Manifestissimum est, non aliam cognoscere D. Augustinum Reprobationis causam, nisi massæ perditæ meritum seu peccatum Originale, quo tota massa periit: & hanc esse causam non tantum negativæ reprobationis seu non-prædestinationis, sed etiam positivæ.* Hæc eadem sæpius in cit. Tom. & Lib. repetit, solâ autoritate Augustini præve intellecti nixus. Error iste est ipsius Calvinii L. 3. Instit. c. 22 §. 11. Et c. 23. §. 1. Item c. 24. §. 12. atque aliorum hæreticorum, quem Sac. Scripturæ, San. Patribus, Scholasticis, & sanæ rationi luculenter contrarium satis jam rejecimus Cont. hæc §. 23. Et Cont. sequenti §. 2. iterum pluribus explodimus. Solùm hic ad verito, per eundem errorem præcipua Catholice Justificationis capita evelli, si Justî non perseveraturi adhuc pro illo ipso tempore, quo justî sunt, hærent in perditionis massa æternæ damnationis rei, atque actuali sententiâ judicis perstricti, quam evadendi non sit penes ipsos potestas. Non enim Finalis causa Justificationis erit vita æterna: nec erunt signati & uncti Spiritu, qui est pignus hæreditatis nostræ contra Tridentinum Sess. 6. c. 7. Non vera esse poterit renovatio mentis: nec Justitia vera, aut adoptio in Filios, ac jus regni. Non poterant semel justificari cum auxilio DEI in accepta justitia perseverare. Non demum erunt Justî omnes perfectè uncti Christo, aut Corporis ejus viva membra; ac proinde neque in Christo JESU. Nam nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo JESU Rom. 8. v. 1. plurimum autem damnationis; imò tota damnatio ijs, qui actuali sententiâ damnationis perstricti, delecti de libro vitæ, imò mortis inscripti sunt. Sanctus Augustinus (quando ex duobus, quorum uterque originali culpâ maculatus est, DEUS unum assumit, alterum relinquit) per hanc relationem neutiquam intelligit positivam reprobationem ad penam gehennæ: sed solummodo non-electionem & prædestinationem ad talia efficacia media ad vitam æternam obtinendam, qualia habet is, quem assumit. Hoc clarissimè apparet. 1. Quia in reddenda ratione, cur hic assumatur, iste relinquatur, unice semper recurrit ad inscrutabilia DEI judicia. 2. Quia, cur aliquis fuerit factus reprobus, causam assignat, quod vocationem divinam contempserit, quod certè ad actuale peccatum pertinet. Sic L. 1. ad Simplicianum q. 2. post medium de Esau (reprobatorum typo) scribit: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit; sed & si voluisset & cucurrisset, DEI adjutorio pervenisset, nisi vocatione contemptâ reprobus fieret.* 3. Quia lib. de Nat. & Grat. c. 126. sic ait: *Cum (DEUS) impium ad perfectam vitam justitiæque perduxerit, non deserit, si non*

deseratur, ut piè semper justèque vivatur. Similia habent alij Patres Cyprianus, Prosper, Bernardus &c. Ergo DEUS semel justificatos positivè reprobare non potest, nisi ob peccata actualia consequentia justitiæ semel habitam, adeoque non ob peccatum Originale; siquidem reprobari non possunt, si in justitia perseverent; perseverare autem possunt, quamdiu non deserantur à DEO, quòd fit per subtractionem auxilij Gratiæ.

LII. Error quintus. Homo Fidelis de electione sua æterna est certus. Ira Calvinus Lib. 3. Instit. c. 2. §. 16. asserens, quemlibet Christianum posse ac debere eâ ipsâ certitudine fidei, quâ credit Christum Hominem ac Deum esse, etiam credere, se habiturum beatitudinem æternam. Subscribunt cæteri Calvinistæ apud Amelium Tom. 4. fol. 154. Item Lutherani apud Kemnitium in Exam. Concil. Trident. Sessione 6. c. 12. & apud Gerhard. L. 2. confess. August. Part. 3. à fol. 509. Ubi tamen addit, certitudinem hanc electionis non esse absolutam, hoc est, ab absoluto Dei decreto dependentem, sed ordinatam, hoc est, dependentem à DEI proposito per Christum in Evangelio nobis manifestato. Fundamentum omnium sunt certa quedam Scripturæ testimonia præve intellecta. Primum est 1. Joan. 5. v. 13. *Scribo vobis, ut sciatis, quia vitam habebitis, qui creditis in Nomine Filij Dei.* Secundum ad Rom. 8. Apost. omnium Prædestinatorum nomine à v. 36. sic loquitur: *quis nos separabit à charitate Christi &c, certum enim, quod neque mors, nec vita poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Tertium ibidem v. 16. *ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quod Filij Dei sumus. Si autem Filij: & hæretes.* Quartum, ex eodem c. 8. ad Rom. v. 30. *quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Hoc testimonium ait Amelius fol. 155. esse unicam causam opinionis suæ; & quamvis nemo unus possit scire omnes, tamen efficaciter vocatos posse scire, se vocatos esse secundum propositum DEI: nec Bellarminum hoc ausum fuisse negare; atque Apostolum tam clarè id docere, ac si solis radio id scripsisset.

LIII. Errorem huic damnat Concilium Tridentinum Sess. 6. pluribus capitibus, & canonibus, nominatim c. 12. ubi expressis verbis statuit, neminem, quamdiu in hac mortalitate vivit, de actu divino prædestinationis mysterio usque adeo presumere debere, ut certò statuat, se esse in numero prædestinatorum, cum non nisi ex speciali revelatione sciri possit, quos Deus sibi selegerit. Et justissimè fit hæc damnatio. Nam primò repugnat prædictus error Sac. Scripturæ. Ecclesiast. 9. v. 1. *nescit homo, utrum amore aut odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur. mortuus quod ad divinam prædestinationem ac reprobationem imprimis referunt S. August. Lib. de Spiritu & anima c. 59. & S. Bernardus Serm. de Septuag. Item Proverb. 27. v. 1. *Ne gloriaris in crastinum, ignorans, quid superventura pariet dies.* Ibidem c. 28. v. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Et ad Rom. 11. v. 20. *In autem fide stas; noli altum sapere, sed time.* Et v. 22. *Vide ergo Bonitatem & severitatem DEI; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem DEI, si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris.* Demum Sacra Scriptura nihil crebrius & studiosius inculcat, quàm Timorem DEI, & ut salutem nostram cum metu & timore operemur ad Philipp. 2. v. 12. Unde omnes Sancti cum Jobo quasi timentes super se fluctus ira DEUM timebant.*

timebant, se cum eodem interrogantes: *Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Dominus? & cum quaesierit, quid respondebo illi?* Job, c. 31. v. 14. & 23. Secundo repugnat SS. Patribus, praesertim D. Augustino L. de corrept. & gratia c. 13. ubi ait: *quis ex multitudine Fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat? quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Satanae angelum tantus colaphizetur Apostolus.* His aureis & clarissimis verbis, quibus S. Pater hanc praesumptuosam securitatem prostravit, consentit Hieronymus in illud cit. Ecclesiasticae 9. nemo scit, utrum odio &c. hic, inquit, est sensus. *Inveni iustorum opera in manu Dei esse, & tamen, utrum amentur à DEO, an non, nunc eos scire non posse; & in ambiguo iudicare, utrum ad probationem sustineant, quae sustinent: an ad supplicium: in futuro igitur scient &c.* Idem D. Gregorius hom. 28. in Evangel. non pessimè, ut impudenter calumniatur Calvin. L. 3. Inst. c. 24. §. 8. sed optimè tradidit apens, *vocationis tantum nostrae conscientia nos esse: & electionis incertos; Nam etiam si quales hoc die simus, sciamus, quales tamen simus futuri, nescimus.* Tertio repugnat rationi. Tum quia praedestinatorio & reprobativo spectant ad occulta DEI consilia soli DEO cognita; *quis enim consultarius ejus fuit?* Ad Rom. 11. v. 14. Tum quia nemo scit se esse in gratia, ut diximus Controv. 55. multò minùs, se esse perseveraturum in gratia, ut eundem diximus Controv. 56. §. 5. & 9. Tum quia ex Sectarijs nonnulli subinde vel ad Catholicam fidem convertuntur, vel ad manifestam impietatem deficiunt. Quomodo ergo prius certitudinem praedestinationis suae habuerunt? Tum quia promissiones DEI, quae in Evangelio habentur, varijs sunt affectae conditionibus, ut mox dicemus. Itaque

LIV. Respond. ad Fundamentum. Ad primum locum, intelligi hunc universim de ijs, qui vivà fide credunt in nomine Filij Dei, si tamen in hac fide perseveraverint usque ad mortem, ut bene explicat D. Thomas eundem text. Sed cum hac scientia & certitudine universali ac conditionatà consistit ignorantia & incertitudo particularis, an hic vel ille habeat aut habiturus sit talem fidem vivam cum perseverantia conjunctam. Ad secundum, istum locum intelligendum vel de morali quadam certitudine, non tamen absque omni formidine, quam certitudinem moralem concessimus cum viris doctis §. 26. & indicat S. Bernard. Sermon. 2. in Octav. Paschae: vel de absolutà etiam & firma certitudine respectu eorum, qui habuerunt specialem revelationem de sua praedestinatione, atque ita intelligit hunc locum S. August. L. de grat. & Lib. arb. apens, *Paulum loqui de se ipso & alijs, quibus sua praedestinatio divinitus innotuit.* Ad tertium, hoc testimonium spectare ad omnes justos adultos; quibus etsi Spiritus per internum solatium & illustrationem mentis subinde testimonium reddat, quod sint filij DEI, ac proinde secundum praesentem saltem iustitiam haeredes regni, non tamen praestet ea res infallibilem certitudinem; non quod testimonium Spiritus S. incertum sit, sed quod ipsi infallibiliter non sciant, testimonium seu inspirationem illam à Spiritu S. esse, cum & Satanas transformare se solet in Angelum lucis; unde etiam probare jubemur Spiritus, si ex DEO sint. Interim concesserim, probari ex illo loco justos saepe habere conjecturalem quandam, aut

etiam quasi moralem certitudinem de sua salutè, cui tamen subesse possit falsum. Videri de hoc potest Tanner Tom. 2. D. 6. q. 4. dub. 5. Ad quartum, constare ex verbis adductis S. Gregorij, scilicet posse nos quidem esse conscientios vocationis nostrae, non autem electionis & glorificationis; Nunquid enim ipsius Christi testimonio multi sunt vocati, pauci verò electi Matth. 20. v. 17. Unde Amesius palpabile commisit mendacium, idque geminum; 1. Apostolum citatis verbis tam calè docere, efficaciter vocatos scire se secundum propositum DEI vocatos: ac si solis radio scripsisset alterum, Bellarminum non esse ausum negare efficaciter vocatos fuisse secundum propositum vocatos, atque idcirco glorificandos, cum istud Cardinalis tanquam haeresin rejiciat. videri ipse potest L. 3. de Justif. c. 14. & 15. à Lutharano & Calviniani! *ò seducte columba Ephraim! Osee 7. v. 11. Timorem Domini revocate ab exilio, quò eum Seductores vestri Lutherus, Calvinus &c. suavi hoc dementiae fascino fugavère; aut malè vobis erit in extremis.* Nam non nisi *Timentum Dominum bene erit in extremis, Siracide teste, c. 1. v. 13. qui autem sine timore est; non poterit justificari.* ibid. v. 28. nec igitur glorificari, & coronà Salutis beatificari.

PECCATA.

Uemadmodum apud Praedestinos ex hac vita discedentes bona opera reperiuntur, quibus destinatum sibi à DEO gloriam veluti Coronam adipiscuntur, ita & apud Reprobos in fine vita peccata mortalia inveniuntur, propter quae à Beatitudine arcentur, & in ignem aeternum discedere jubentur. Cum igitur de bonis operibus supra egerimus, nunc de Peccatis aliquid subjungemus, cum haeretici in his quoque asserendis à veritate Catholica aberrant.

CONTROVERS. LX.

DE PECCATO ORIGINALI.

Peccatum juxta Aristotelem & S. Thomam est triplex Naturae, Artis, & Moris. De hoc postremo & theologico inpraesenti controversitur; quod peccatum in genere definitur potest, Forma denominas Naturam intellectualem DEO displicentem, inducensque reatum alicujus pœnae. Dividitur in Originale, & Personale: & hoc iterum in Actuale, & Habituale.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Peccatum Originale vocatur defectus ille, qui derivatur in posteros ab Adamo primo omnium parente. Dicitur Originale; quia in prima

Ddd origines